DISSERTATIO MEDICO-IVRIDICA
DE
VENENIS
STERILITATEM INDVCENTIBVS

QVAM

PRAESIDE

CHRISTIANO GODOFREDO STENTZELIO
TORGAVIENSI
ARTIS SALVTARIS ET PHILOSOPHIAE DOCTORE FACVLTATIS MEDICAE ASSESSORE ET CHIRVRGIAE PROFESSORE PVBLICO

DIE XXIV. IVLII CIↃ IↃCC XXXI.

LOCO HORISQVE CONSVETIS

P. P.

IOANNES GVSTAV. RVDOLPHVS
MARIAEBERGENSIS MISNICVS
MEDIC. CANDIDATVS

VITEBERGAE
LITTERIS EPHRAIMI GOTTLOB EICHSFELDII.

PERILLVSTRI

ATQVE EXCELLENTISSIMO

DOMINO

DN. CHRISTIANO DE LOSS

POTENTISSIMI SARMATARVM REGIS
AC PRINCIPIS ELECTORIS
SAXONIAE

IN

SVPREMO SENATV ECCLESIASTICO

QVI

DRESDAE FLORET

PRAESIDI

SACRI CVBICVLI REGII

COMITI PVRPVRATO

NEC NON

REGIAE AVLAE ET IVSTITIAE

CONSILIARIO

DOMINO SVO PERINDVLGENTI

LITERARVM LITERATORVMQVE

TVTORI ET MAECENATI

MAXIMO

HANC

DE VENENIS

STERILITATEM INDVCENTIBVS

DISSERTATIONEM

QVAEVIS FAVSTA APPRECANS

DAT DICAT ET DEDICAT

ET

GRATIAE

DOMINI SVI GRATIOSISSIMI

SE SVBMISSE

COMMENDAT

IOANNES GVSTAVVS RVDOLPHVS

DE VENENIS STERILITATEM INDVCENTIBVS.

I.

DEſinant iam prudentiores, LEEVWENHOECKII, naturalium in ſemine exiſtentium uermium praeſentiam ſtatuentis, partes defendere; extinguatur & deleatur penitus autoris, quem modo commemoraui, abſonum & tum rationi atque experientiae, tum ſacris literis inimicum aſſertum. Oculis, ope microſcopiorum, regeris, & a LEVWENHOECKIO, & ab aliis uermes ſiſti & demonſtrari; hominis deinde, aſſeris, ex uerme generationem, nec a ratione abhorrere, nec experientiae inimicam eſſe; aſt unde probas, uermes, quos tibi oculus microſcopio armatus repraeſentauit, naturales fuiſſe? Cur tam pauci inueniuntur, qui eosdem ſe uidiſſe, gloriantur, cum & alii de his conſpiciendis, quibus nec oculorum acies, nec microſcopia accuratiſſime elaborata defuerunt, maxime ſolliciti fuerint? Cur deficientibus aut exhauſtis ſuccis tenuibus & gelatinoſis, liquor

genitalis deficit, qui denuo reparatur assumtis facilis digestionis & boni succi alimentis? Forsitan in iisdem stamina uermium latent. Quibus argumentis, te, plicatili atque anguillari gelatinosi prostatarum liquoris figura, haud esse deceptum, probas? Vnde illorum uermium origo? Vnde perpetua horum in tanta copia generatio? Cur iidem pubertatis annis demum adesse dicuntur? Cur ex uermibus, quorum innumeri unô coitu in aruum muliebre emittuntur, unus duntaxat alterue conseruatur? Vbi manent reliqui? Cur exhibitis anthelminticis, mercurialibus, pinguibus, amaris, aloeticis, atque enecatis, uti obseruationes docent, uermibus, quos ego nonnisi praeter naturam semini inesse reor, coitus isque foecundus fuit institutus? Quid respondes ad dictum Mosis, (a) affirmantis, semen mulieris caput serpentis esse contriturum? Nonne hoc demonstrat, hominis originem ex ouulo materno esse deriuandam? Quomodo uero haec cum sententia LEEVWENHOECKIANA conciliabis? Haec utique omnia in apricum deducunt, LEEVWENHOECKII opinionem otiosi ingenii commentum esse, eumque praeternaturali seminis statu & uermium praeternaturaliter dicto liquori inexistentium praesentia delusum, conclusionem a statu morboso ad sanum & naturalem formasse, cum homo omniaque animantia, alia principia aliamque originem agnoscant, & quaeuis uiuentia, uti antiquissima Empedoclis, Aristotelis & Hippocratis fert sententia, ex ouo ortum ducant.

II. Abstrusissimum quidem & magis mirandum, quam rimandum est generationis negotium, ita, ut merito fateri teneamur cum Iobo, (b) *αἱ χεῖρές σου ἔπλασάν με καὶ ἐποίησάν με, μετὰ ταῦτα μεταβαλών με ἔπαισας*; non tamen a uero me aberraturum credo, si cum MALEBRANCHIO, SQVAMMERDAMIO, BARTHOLINO, BERGERO & BOHNIO asseram, futuri stamina foetus in ouulo materno iam adesse, eademque a liquore genitali maris per coitum

(a) Genes. cap. 3. u. 15. (b) cap. 10. u. 8.

coitum in aruum muliebre emiſſo actuata, ſucci, qui ſimul communicatur, nutritii, ſtaminum poros ſubeuntis, adiumento ampliari & ſucceſſiue augeri. Vt enim taceam, ea ferme ratione ex ſeminibus uegetabilium, plantas, frutices & arbores produci, qua ex ouulo maturo materno generatur homo, ita hoc ſaltem ad noſtrae ſententiae confirmationem adducendum, quod non modo omnia animantia ouaria & oua gerant, ſed eadem etiam ouis ueris & maturis praeſentibus, ad conceptionem apta ſint, illis uero deficientibus, aut intercluſo eorum ad uterum tranſitu, ſterilitas excitetur. Ita non oua modo, ſed ſedes quoque eorum in ouario in animantibus breui poſt impraegnationem interemtis, nullis obſeruatis uermibus, RVYSCHIVS, NVCKIVS & GRAAFIVS uiderunt & demonſtrarunt. Accedunt his teſtimonia ſacrarum literarum, quae manifeſte, hominis ex ouo generationem, non uno, ſed pluribus locis, docent; patet hoc primum ex uerbis, (c) quibus ſerpentem infernalem allocutus eſt Deus, dicens: ואיכה אתית בינךי ובין האשה ובין זרעך ובין זרעה הוא ישופך ראש ואתה תשופנו עקב: Deducit hic ipſe Deus humani generis originem ex ouo, ſeu ſemine muliebri, & hac ratione Chriſtum Diaboli oppugnatorem & deſtructorem, noſtram carnem eſſe aſſumturum, indicat. Huc quoque pertinent ea, quae Apoſtolus Paulus (d) de Sara, Abrahami coniuge, affert: *ὅτι πίςει ϰ̀ αὐτὴ Σάῤῥα, δύναμιν εἰς καταβολὴν σπέρματος ἔλαβε, ϰ̀ παρὰ καιρὸν τῆς ἡλικίας ἔτεκεν*; hic penitus non mirandum, *ὅτι σπέρμα κατέβαλε, εἴτε δύναμιν εἰς καταβολὴν σπέρματος ἔλαβε*, hoc enim uniuerſo foeminarum generi commune, *ἀλλ' ὅτι παρὰ καιρὸν ἡλικίας τȣ̃το ἐγενήθη*, & conſiderationem atque admirationem meretur. Per *καταβολὴν σπέρματος*, hic nihil aliud, quam ouuli maturi materni impraegnatio, atque ad uterum deuolutio, intelligitur.

(c) Geneſ. cap. 3. uerſ. 15. (d) epiſt. ad Hebraeos cap. 11. uerſ. 11.

III. Ad hoc melius perſpiciendum luſtrandae ſunt paucis utriusque ſexus partes genitales, ſolidae & fluidae, & examinanda earundem diſpoſitio & functio, quo non ſolum nobis melius conſtet generationis negotium, ſed diuerſus etiam, quo his laeſis, ſterilitas inducitur, modus eruatur & demonſtretur. Diſcrepans partium genitalium in utroque ſexu conſtitutio obſeruatur. In uiris duo maximam partem teſticuli adſunt, membranaceo inuolucro, quod ſcrotum dicitur, incluſi; ſiſtunt iidem nobis congeriem ſubtiliſſimorum canalium, glomi inſtar conuolutorum, per quos limpha genitalis arteriarum ſpermaticarum ope aduecta & ſecreta tranſit atque attenuatur; liquor ille, quem alii ſpiritum genitalem, alii fermentum, alii ſemen appellant, per uaſa peculiaria ad capſulas exiles, ueſiculas ſeminales dictas, quae in penis cauitatem hiant, deriuatur, aſſeruatur, & tempore coitus cum muco glandularum proſtatarum miſcetur, atque ope mentulae in aruum muliebre proiicitur; adeoque foecunditas uirorum, materiae genitalis ſufficientem in ſanguine copiam, liberum ſuccorum ad teſticulos circulum, legitimam horum organorum conſtitutionem, ueſiculas ſeminales firmiores, ſemine bono refertas, continuam gelatinae craſſioris in proſtatis ſecretionem, & demum ſufficientem ueretri magnitudinem & uim elaſticam exigit; omnia igitur ea, quae horum, quorum modo facta mentio, integritatem peruertunt, aut penitus deſtruunt, ſterilitati in uiris anſam praebent, & hoc modo in catalogum uenenorum ſterilitatem inducentium referenda.

IV. Aliae partes genitales eaeque aliter conſtitutae in ſexu ſequiore deprehenduntur, primum occurrit canalis longus, in ipſum uterum deſinens, illique continuus, qui uagina appellatur, & tempore coitus recipiendo peni inſeruiens, praecipuum uoluptatis uenereae inſtrumentum conſtituit. Vaginam uteri uterus ipſe excipit in imo uentre intra ueſicam urinariam atque inteſtinum rectum locatus, conſtituens accommodatum

tum conceptionis organon. Prodeunt & protuberant ab utroque uteri latere tam dextro, quam ſiniſtro, duo peculiares canales, tubarum inſtar efformati, qui tum ab inuentore, tum a fabrica, tubae Fallopianae, ab uſu uero ouiductus uocantur. Protenſi ſunt illi canales, & magis protenduntur tempore coitus uerſus ouaria, quae nobis utrinque multarum ueſicularum & corporum rotundorum coagmentationem oſtendunt. Veſiculae autem illae nihil aliud ſunt, quam ouula, quae in maiora uel matura, ac minora uel immatura, diſtinguuntur, & longe ante foeminae cum uiro commercium, integra corporis noſtri ſtamina & rudimenta a ſupremo naturae Autore formata ac debito ordine diſpoſita poſſident & fouent.

V. Praeterlapſo aliquot annorum ſpatio, quo pubertas accedit, ex mutuo, quo a natura gaudemus, deſiderio, uenereo quodam perciti oeſtro, ad oſcula & amplexus, uoluptatem ſatiaturi ruimus; coitu hinc ſuſcepto per repetitam mentulae agitationem liquor genitalis, quem ueſiculae ſeminales aſſeruant, in uteri cauitatem proiicitur, nec uterum modo irrigat, ſed in ipſas quoque tubas Fallopianas, uti RVYSCHII obſeruatio docet, (e) penetrat. In congreſſu autem foecundo, antequam ſemen maſculinum in aruum muliebre emittitur, ouulum maturum extra ouarium maxime protuberans, & ad ſeceſſum paratiſſimum, ope motus illius fortioris, qui in concubitu ſentitur, ab ouario ſeparatur, & per tubas Fallopianas in uterum deriuatur, unde tanta eo tempore in foeminis mutatio, crebrior atque interrupta reſpiratio, cordis palpitatio, uirium proſtratio, ortum ducunt. Ouulum, itaque, quod his ſubſidiis ex ouario deuolutum in utero haeret, turgidum & maxime poroſum ab allidente per uim elaſticam ueretri liquore genitali, ipſam interiorem illius ſubſtantiam ſubeunte, diſtenditur, explicatur, & reſeratis ſtaminum poris motus circularis inchoatur, qui dein-

 ceps

(e) Aduerſ. Anat. Decad. 1. obſ. 1. p. 2. 3. & 4.

ceps nouis continuo ſuccis ſuppeditatis, ope fabricae cordis conſeruatur & promouetur.

VI. Quot liquores, quot organa ad conceptionem & generationem neceſſaria delineata antecedentibus capitibus tibi exhibemus, tot & longe plures ſterilitatis cauſae & uenena explicanda ſunt. Haud raro partes genitales in utroque ſexu bene ſunt diſpoſitae, ſi easdem ſeorſim conſideramus, aſt ſi easdem inter ſe comparamus, debitam deſiderari proportionem animaduertimus. His addendum odium, quo erga ſubiectum aliquod occupati, nullum ſentimus ſtimulum, nullam percipimus erectionem, nec ad coitum idonei ſumus. Quid efficiet maritus, in quo ob teſticulos ſcirrho affectos ſeminis ſecretio eſt impedita? Fruſtra coitus foecundi deſiderio tenetur, cui eroſae ſunt ueſiculae ſeminales; idem obſeruatur in illis, quibus ob conſumtam & cicatrice obductam proſtatarum ſubſtantiam, mucus, quem illae partes alias ſecernunt, tanquam liquoris genitalis uehiculum, deeſt. Quid mas exiliore, minusque rigida mentula praeditus in foemina, cui laxior & amplior partium eſt diſpoſitio, praeſtabit? Nec ſcopum, quem habet propoſitum, aſſequetur, priapo nimis craſſo & longo inſtructus, ſi cum tenerioris conſtitutionis foemina, quae uaginam uteri nimis arctam poſſidet, concumbere geſtiat. Fruſtra laborabis, quando uagina uteri membrana quadam eſt occluſa; nullus pariter a coitu effectus, quando uteri, praeſertim ceruicis, ob inductam illis laeſionem, aut etiam tubarum Fallopianarum latera, coaluerunt. Et licet libera patensque adſit uia, uera uero & matura deſiderentur ouula, & tum pariter ſine effectu ſuſcipies coitum. Quinimo omnibus praeſentibus ad hoc negotium requiſitis inſtrumentis & partibus, metam haud attinges, niſi debitum in emiſſione ſeminis tempus obſerues.

VII. Haec uero omnia, tanquam res leuioris momenti, ad ipſam conceptionem parum contribuere, multi aſſerunt. Virgines,

gines, ſubiungunt, uti obſeruationes RVYSCHIO (f) RIOLANO (g) FABRICIO AB AQVAPENDENTE (h) DOEBELIO (i) GVILLEMEAV (k) FORTVNIO AFAYTATO (l) annotatae demonſtrant, non immiſſo, ob uaginae arctitudinem, pene, nec emiſſo in uterum, ob uiam membrana occluſam, ſemine, nihiloſecius concepiſſe, & dilatatis partibus nimis arctis, aut ablata, chirurgiae adiumento, tunica, peperiſſe; quod non adeo infrequentes conceptiones, inquit BOHNIVS, (m) in eiusmodi foeminis contingant, quas penem maſculinum in coitu intra uaginam non admiſiſſe certum, multo minus ſemen huius utero excepiſſe, ueroſimile eſt; uerum enim uero, nimia, quam foeminis habuit, fide ſeductum iudico BOHNIVM, quae, uti multarum foeminarum, praeſertim meretricum mos eſt, ſerio aſſeuerant, obteſtantur & iurant, quod ignorent, qua ratione impraegnatae fuerint, cum penem in uaginam ne admiſerint quidem; huiusmodi ſane foeminae omnium ſunt peſſimae, & queſtum ex corpore quaerunt. Nec aliquid hic tribuas anguſtiae, eaque decipiaris, cum meretrices, ope conſolidae maioris, burſae paſtoris, alchymillae, ſucci mali citri & ſimilium ſciant, partes frequenti priaporum admiſſione dilatatas denuo conſtringere & coarctare. Ac unde tibi perſpectum, tunicam, quae poſt conceptionem in uteri uagina reperitur, antea adfuiſſe; autumo, quod eadem poſt coitum uiolentum, ob laeſas laceratasque fibras, producta fuerit. Probet, quaeſo, mihi aliquis, qua ratione, ſi penis non intra uaginam recipitur, ſi ſemen non in aruum muliebre emittitur, conceptio fieri queat? ſpiritum reſpondes, ex ſententia HAR-

(f) Obſeru. Anat. 22. p. 27. (g) Anthropol. lib. 2. cap. 34. (h) lib de Operat. chirurg. (i) Obſeru. Anat. nou. liter. maris Balthici m. Dec. 1698. p. 240. (k) de l' heureux accouchement lib. 2. ch. 10. (l) Libr. Conſid. Phyſ. & Aſtron. c. 2. de conceptu androgyneo. (m) Circ. An. Phyſ. Prog. 24. §. 2. (n) Lib. de gener. Animal. paſſim.

HARVAEI (n) DEVSINGII (o) & EVERHARDI (p) ad hoc perficiendum ſufficere, & dehinc illum, cum maxime tenuis & ſubtilis ſit, illico in ſanguinem poroſamque uteri ſubſtantiam tranſire, & ad ouaria deriuari; quem uero latet, ſi etiam hoc admitteremus, obrui penitus, alterari & omnino deſtrui illas, quas intra ſanguinem recipi dicunt, ſeminis particulas. Quis denique craſſo illi errori patrocinium conſtituet, cum multiplici experientia conſtet, in coitu foecundo, totam, quae in uterum emiſſa fuit, maſſam ſeminalem retineri.

VIII. Plus adhuc libertatis in nouis opinionibus excogitandis & fingendis ſibi arrogat ZYPAEVS, (q) qui haud ueretur affirmare, interdum & caſtratos poſſe mulierem impraegnare, nam ad generationem, addit ille, non tam ſeminis copiam, quam bonitatem requiri; ad hoc probandum prouocant huius ſententiae fautores ad hiſtoriam, quam SMETIVS (r) ſuppeditat: muſicus quidam celebris, ait, Guido, mania correptus, pedibus brachiisque lecto per uincula lata ex corio firmiſſima adſtrictus, ſibi ipſi, dum ſtragulis tectus quietior ſolito iacere uidebatur, dilacerato ungibus ſuis clanculum ſcroto, utrumque teſtem auulſit, absque ullo doloris indicio. Nec prius facinus innotuit, quam uxor eius, multo poſt ſubleuato lecti tegmine, ſi forte lotium emiſiſſet, exploraſſet. Videns itaque illa lectum cruentatum, chirurgum acceſit, qui diſruptum ſcrotum conſpicatus, neutro teſtium apparente, quaerit a maniaco, ubinam illi ſint? Aeger uero nihil quidem reſpondens, illico tamen utraque manu prolata & explicata, ſingulos complexus, auulſos oſtendit. Idem tamen haud longo poſt tempore, a ſcroti diſruptione & mentis uitio reſtitutus, non ſolum ipſe, ſed & coniux eius, iuſtae aetatis beneque conſtituti corporis mulier, candi-

(n) de Gener. Animalium paſſim (o) de Generatione foetus extra uterum ſect. 3. §. 67. & Geneſi Microcoſm. P. 1. Sec. 2. §. 69. (p) Tr. de hominis brutique exortu p. 31. (q) in Fundam. Med. Part. 2. cap. 3. art. 6. §. 10. p. 58 (r) Miſcell. Med. lib. 10. p. 24. & 25.

candide fassi sunt, maritale debitum a uiro persolui, adeoque semen non minus, quam ante morbum solebat, eiaculari. Similem historiam, qua idem probare uult, REINESIVS (s) affert; unde AFFAYTATVS concludit, posse mulierem absque uiro foris adhibito concipere, nihil enim in ouulo maturo praeter motum desiderari. Quod SMETII historiam attinet, liquorem, quem in coitu, commemoratus Guido emisit, glandularum prostatarum mucum fuisse, existimo. Illud uero, quod RFINESIVS de uiro testiculis orbato, coitum foecundum celebrante & filiam generante adducit, si uera sunt, quae narrantur, nonnisi alio, quam naturali modo, hoc peragere potuit, cum semen, quod iam secretum in uesiculis seminalibus adfuit, tempore coitus eiectum, conceptionem promouerit. Ac quoties a mulierum pessima cohorte sanctissime affirmatur, se penitus insontes esse, & ne quidem de coitu cum aliis celebrando cogitasse, cum tamen infantes, quos edunt, incerti sint patris. Et cum haec agant coniuges, quarum mariti, eam, quae necessaria est, partium genitalium integritatem possident, quid ab illis expectandum, qui thori socium, eiusque in bello uenereo debilitatem norunt.

IX. Optime uero dehinc nos expediemus, si secundum seriem partium genitalium, causas, quibus naturalis earum dispositio laeditur, laesa restituitur, adeoque liquoris & organorum genitalium uenena & uenenorum antidota expendamus; illa uero uel seminis secretionem impediendo, aut secretum corrumpendo, uel obstructis uiis, partes solidas exsiccando, aut penitus occludendo, uel erodendo, suam operationem perficiunt, adeoque non modo genitales partes afficiunt, sed toti machinae detrimento sunt. Ex quibus demonstratur, sic dicta uenena, sterilitatem inducentia, specifica eaque innata uirtute succos & organa generationi inseruientia non respicere, sed rationem prae-

 cipuam

(s) Epist. 41. ad Nestor. p. 25.

cipuam, a modo, quo applicantur, & organorum, quibus communicantur, diſpoſitione dependere. Diſcrepantem hac ratione effectum ab uno eodemque ueneno percipies, ſi idem alteri per os exhibes, in altero uero idem uenae ſauciatae ingeris. Alia denuo operatio, ſi tale uenenum teſticulis, radici penis, aliisque partibus externe applicas, obſeruabitur, & plura adhuc, eaque diuerſa ſymptomata eodem in canalem penis aut uaginam uteri per ſiphonem iniecto, animaduertes. Et quanquam uno eodemque ueneno utaris, quanquam idem ſimili adhibeas methodo, nihilo ſecius iterum uarius effectus a uaria ſuccorum & organorum in quae & per quae agunt, conſtitutione reſultabit, ita ut hoc modo illud, quod huic ſterilitatem, alteri foecunditatem procuret. Multo minus certa proſtant uenena, quae ſaltem genitales partes in uiris corrumpant, foeminis uero nullam inducant laeſionem; ſi mas & foemina contraria ſuccorum & organorum diſpoſitione gaudent, illud, quod foeminae fuit uenenum, in uiro remedii uſum habebit, & id uice uerſa; aſt ſi eiusdem ſunt conſtitutionis, uterque ſexus ex illius uſu incommodum & detrimentum ſentiet. Specificorum aphrodiſiacorum exemplo nonnulli etiam ſpecificorum ſterilitatem inducentium & ſexum ſpecifice reſpicientium uenenorum certitudinem demonſtrare uolunt; ſemen unicaulis, afferunt illi ex Iſocrate, aſperſum pudendo muliebri, inexhauſtam in foeminis coeundi auiditatem excitare; aſt ſi eandem producit in ſexu ſequiore, cur non idem in maribus poſſet praeſtare; ita cantharides in eſſentia ambrae ſolutas ſummam libidinem in foeminis producere, res eſt notiſſima, aſt eaedem eundem quoque effectum in uiris, ſi ſimilis ſunt conſtitutionis, exſerunt. Multo minus credendum, inueniri iſtiusmodi uenena, quae pro cuiusuis deſiderio intra certum & determinatum tempus ſterilitatem inducant, uti THEOPHRASTVS ERESIVS (t) de Ariſtophilo, Pharmacopola

(t) Hiſt. Plant. lib. 9. c. 19.

pola Platonico refert, illum enim, ſcribit, medicamentis ueneri impedimentum attuliſſe, & quidem nunc ad unum, nunc ad duos tresue menſes operationem potuiſſe dirigere, eoque remedio ad compeſcendos nimios adoleſcentum impetus quandoque uſum fuiſſe. Prouti uero rationis atque experientiae ſuffragio compertum omnino habeo, proſtare uarii generis remedia tam naturalia, quam artificialia, quae nimis acres nimisque uolatiles ſuccos temperando, uehementiorem partium genitalium irritationem & hinc proueniens coeundi deſiderium compeſcunt, imo inueniri talia uenena, quae tum toti corpori, tum etiam partibus genitalibus iniuriam inferunt, ita ab ipſa ueritate penitus alienum iudico, haec remedia in omnibus unum eundemque, eodem temporis ſpatio, effectum exſerere, & in ſpecie ſemen & organa genitalia, aliis, per quas tranſeunt, partibus illaeſis, afficere; niſi immediate partibus ad generationis negotium neceſſariis applicentur.

X. Huiusmodi enim uenena, quacunque forma exhibeantur, ſi per ordinariam uiam in ſanguinem, atque ex eodem ad teſticulos deriuari debent, magnam utique mutationem, in tot, quae tranſeunt, uiſceribus, a uariae humoribus naturae ſuſtinere tenentur, unde organorum genitalium labes maximam partem a uitio uentriculi, hepatis, cordis, pulmonum & ſuccorum uitalium dependet. Ventriculus eſt illud receptaculum, in quo primam uenena figunt ſedem, atque ex quo deinceps corrupto, tanquam Pandorae pyxide, omnium lerna malorum in totum transfertur corpus; hoc iam abunde demonſtraui in praemiſſa de uenenis lentis & terminatis, quae Galli *les poudres de ſucceſſion* uocant, diſſertatione, quibus addendum experimentum, quod Vir quidam Perilluſtris in cane cum ueneno terminato, cuius inuentores ſunt Patres ſocietatis Ieſu, inſtituit; laminas orichalci tenuiſſimas in ſubtiliſſima & uix conſpicua filamenta ſeu ſpicula diuiſit, diuiſa alimentis cani exhibendis immiſcuit, quibus deuoratis, animal antea maxime uegetum, languore affectum in

tabem incidit, eaque periit; aperto poſt mortem cadaueris uentriculo, tota illius cruſta uilloſa multa exilia foramina, purulentam exſtillantia materiam, exhibebat, filamenta uero orichalci deuorata ſenſum uiſus omnino fugiebant. Quis uero, cui conſenſus oeconomiae animalis non ignotus, inficias ibit, hoc aliaque ſimilis uenena indolis corrumpendo uentriculum, labefactando chylificationis negotium, ſubtrahendo ſuccos nutritios tum toti corpori, tum quoque partibus genitalibus labem affricare, & ſterilitatem inducere?

XI. Dehinc uero minime quis ad eam feratur perſuaſionem, quaeuis uenena, quae aliquam uiſceribus iniuriam inferunt, ſimul liquoris genitalis ſecretionem impedire, ceterasque generationi inſeruientes partes ſuo robore priuare. Nulli certe, cui prima ſcientiae naturalis principia nota, ignotum, uenena uiſcoſa, terrea, acida, uitriolica, martialia, perſaepe in anguſtis atque extremis arteriae ſplenicae, hepaticae, pancreaticae ramis ſubſiſtere, ſuccosque condenſando liberum eorum ex uaſis conicis in cylindrica tranſitum impedire, obſtructiones atque incuneationes, imo ſcirrhos atque ulcera parere, ubi tamen ſua genitalibus manet integritas, eaque omnibus, quae ad generationis & conceptionis negotium requiruntur, ſubſidiis gaudent. Hoc cumprimis phtiſicorum, eorum nempe, qui ulcere pulmonum laborant, & hinc ſicciorem & macilentum penitus corporis habitum poſſident, probari poteſt exemplis, illi quippe, quanquam eorum pulmones ueneno acri obſeſſi erodantur, quanquam exinde non leuem labem contrahat maſſa ſanguinea, nihilo ſecius admodum ſtrenui tamdiu adhuc in caſtris ueneris ſunt, quamdiu ſufficiens uentriculi robur, cibis probe reſoluendis atque eliquandis neceſſarium adeſt, & hinc debita gelatinae quantitas ad ſanguinem, atque e ſanguine ad teſticulos ceterasque partes genitales transfertur.

XII. His omnibus rite examinatis atque inter ſe comparatis, uenena ſterilitatem inducentia, uel mediate, alia ſcilicet

ſcilicet laedendo organa, uel immediate & proxime, ceteris totius machinae partibus probe conſtitutis, ſolas partes ſeminis ſecretioni, excretioni & receptioni deſtinatas afficiendo, earum functionem uel imminuere aut penitus deſtruere, comperimus. Praeterea haec uenena uel conceptionem impediunt, aut factam iam iterum deſtruunt, quae in ſpecie abortiua appellantur. Nulla denique abſolute talia uenena genitales ſaltem partes corrumpentia, eundemque effectum in omnibus ſemper praeſtantia, ſi externa organis genitalibus immediate applicata excipias, in rerum natura proſtant. Nec tandem reticendum, horum uenenorum alia ſuperſtitioſa, anilia & fabuloſa, alia uero ita comparata eſſe, ut uis, quae iis tribuitur, non plurimis modo obſeruationibus confirmari, ſed ex ipſis quoque, quibus gaudent principiis, demonſtrari poſſit.

XIII. Inter uenena anilia & ſuperſtitioſa, quae uenerem impedire & ſterilitatem inducere creduntur, nouorum nuptorum ligaturae ordinem ducunt; ex ipſo autem modo, quo ligaturae huiusmodi perficiuntur, ſatis conſtat, hic omnino ſufficientem rationem phyſicam deſiderari, totamque rem a facili nimisque pertinaci plebis credulitate, multis hiſtoriis, fabulis potius innixa deriuandam eſſe; quibus addenda dyſcraſia melancholica & hanc comitans imaginatio fortis & ſuperſtitioſa noui ſponſi fides. Modus uero ſpoliandi nouum maritum per ligaturam ui cocundi ſatis ridiculus eſt, & ſequenti ratione ſuſcipitur: eo ipſo tempore, dum ſponſus, cum ſponſa a ſacerdote copulantur, praeſtigiator nodum facit in filo uel ligula, clauditque ſeram inuerſo in theca ſua cultro. Huiusmodi ligatores priſci Latini Feſcenninos appellabant, ac de iis antiquiſſimus Poeta (u) haec protulit:

Necte tribus nodis trinos Amarylli colores,
Necte Amarylli modo, & ueneris die uincula necto.

 Lu-

(u) Ecloga 8.

Ludicrus eſt modus ligaturas huiusmodi conficiendi, ludicra pariter ars, qua, ad maleficium hoc ſoluendum, utuntur; uulgo enim perſuaſum, ligaturam fruſtraneam eſſe, ſi ſponſus in annulum pronubum lotium dimitteret.

XIV. Immerito fidem allegato experimento denegari, plures ſuperſtitioni addicti ad obſeruationum certum ligaturae effectum confirmantium multitudinem prouocantes, affirmabunt. Haud raro quidem accidit, nouo ſponſo requiſitam & neceſſariam deeſſe alacritatem, & mentulam omnino flaccidam nec erigi, nec ad coeundum aptam reddi poſſe, ſed hic aliae cauſae in promtu ſunt, & culpa minime in ligaturam Magi coniicienda; ſaepius enim illi talem haſtae uirilis impotentiam experiuntur, qui, uti obſeruationes CARDANO, (w) BAGLIVIO (x) aliisque annotatae docent, diu a ueneris uſu abſtinuerunt, atque ad hoc perficiendum ſimul refrigerantibus exſiccantibus atque obſtruentibus remediis uſi fuerunt, nam modicus & conceſſus ueneris uſus corpus excitat & uirilis uires membri acuit, nimia uero abſtinentia omni tono idem priuat illique conſtantem laxitatem inducit, ita prorſus ut uera ceciniſſe credas NASONEM (y) hiſce uſum: intrat amor mentes uſu, dediſcitur uſu. Quandoque illis hoc malum contingit, qui profundioribus inhaerentes meditationibus, ad ea, quae uenerem ſtimulant, non attendunt. Ad quae plurimum quoque confert odium, quo nouus maritus erga deformem coniugem occupatus omni deſiderio omnique potentia coeundi deſtituitur.

XV. Praecipua uero cauſa huiusmodi debilitatis & hanc ſequentis ſterilitatis a nimio ueneris praematurae cultae exercitio arceſſenda, quo totum generationis penu, citius, quam par eſt, exhauritur, mentula exareſcit nec ad priſtinum tonum & robur redire poteſt, unde illi, qui in iuuentute ſtrenui ueneris milites fuerunt, accedente aetate uirili impotentia coeundi laborant & ſteri-

(w) Tract. de Ven. lib. 2. cap. 7. (x) de Fibr. Motric. morboſ. lib. 1. cap. 8. (y) de Remed. Amor. lib. 2.

ſteriles omnino euadunt. Et hoc eo magis, ſi coitu frequentiore non modo ſuccos laudabiles nimis profuderunt & elaſticam mentulae uirtutem penitus deſtruxerunt, ſed ſimul etiam ex uaga impuraque uenere maximam partibus genitalibus labem & noxam affricarunt; tam acre enim, tam penetrans ſaepe eſt miaſma uenereum ex impuro contractum coitu, ut tum liquorem genitalem & mucum proſtatarum corrumpat, & maximam illis uirulentiam conciliet, tum ipſa generationis organa erodendo, conſumendo, diſtorquendo, ad ea, ad quae, Natura illa deſtinauit, officia, inidonea penitus reddat. Quibus addenda uehemens, quae exinde in ſanguinem redundat, ſuccorum uitalium corruptio, quae tanta interdum eſt, ut totum corpus tabe hinc afficiatur, multae partes erodantur, laudabile ſerum nutritium deficiciat, nullumque uel corruptum penitus ſemen ſecernatur, quod ad coitum foecundum minus aptum exiſtit.

XVI. Perfrequenter bona & legitima in uiris partium genitalium adeſt conſtitutio, ſufficiens laudabilis ſeminis copia ſeparatur atque in aruum muliebre proiicitur, idem uero illud, quod debet, praeſtare nequit, dum naturalia in mulieribus male ſe habent, atque anguſtia uteri praeternaturalis, ſeminis maſculini exceptionem impediens, adeſt, uel genitalia mulierum ex natiuitate, partu difficili, uulnere uenereo ſunt concreta, aut eadem uelamento membranaceo occluſa, uti in atretis ſiue imperforatis obſeruamus, quarum plura exempla FORTVNATVS FIDELIS (z) FABRICIVS ab AQVAPENDENTE (a) HENR. van RONHVYSEN (b) VARANDAEVS (c) WIERVS (d) & BARTHOLINVS (e) collegerunt. Haec uero occluſio ita eſt comparata, ut

(z) De Relat. Med. lib. 3. cap. 6. (a) lib. de Chirurg. Operat. p. 279. (b) in hiſtor. Chirurg. p. 105. (c) in Tract. de morb. mulier. cap. 11. Oper. Tom. 2. p. 196. (d) de Praeſtigiis Daemonum lib. 2. c. 35. (e) Cent. V. obſeruat. hiſtor. 42. it. M. N. C. D. I. A. 3. obſ. 3.

ut iam Chirurgi manu, aut maiore penis robusti ui elastica tolli possit, iam uero talem operationem non admittat, aliorumque remediorum usum respuat, unde sterilitas insuperabilis ortum ducit. Quandoque uitium sterilitatis in ipso utero consistit, qui, si scirrho uel inflammatione laboret, aut exulceratus sit, minus conueniens conceptionis receptaculum constituit. Peior adhuc est status, si idem omnino deest, atque ad inducendam sterilitatem exsectus fuit, quam operationem primum in foeminis susceperunt Lydii, uti testatur IVLIVS ALEXANDRINVS (f) Λυδοὶ, inquit ATHENAEVS (g) εἰς τοσοῦτον ἦλθον τρυφῆς, ὡς καὶ πρῶτοι γυναῖκας εὐνουχίσαι, Lydii adeo luxu corrupti sunt, ut primi foeminas castrauerint. Hoc ulterius ATHENAEVS Xanthi testimonio confirmat, mox enim subiicit: Ὁδ' οὖν Ξάνθος ἐν τῇ δευτέρᾳ τῶν λυδιακῶν, Ἀνδραμύτην, φησι, τῶν Λυδῶν βασιλέα, πρῶτον γυναῖκας εὐνουχίσαντα χρῆσθαι αὐταῖς ἀντὶ ἀνδρῶν εὐνούχων, Xanthus ergo libro secundo de rebus Lydiorum ait, Andramyten Lydorum Regem foeminas primum castrasse & illis eunuchorum loco usum fuisse. Ad eam classem qnoque referendus uterus in unam massam steatomati similem concretus, nulla intus apparente cauitate, aut cartilagineus redditus, quales obseruationes Miscellanea Naturae Curiosorum (h) suppeditant. Similis quoque foeminarum est conditio, si ouaria hydrope laborant, ulcere consumta sunt, uel uerorum & maturorum ouorum defectus in iis adest, uti historiae HARDERO (i) VOLCKAMERO (k) & NVCKIO (l) annotatae confirmant. Nec melior sors illarum, in quibus, ceteris bene constitutis, tubae Fallopianae penitus obliteratae, imperuiae, disruptae, coalitae, ouulis ex ouario deuoluendis uiam intercludunt, qualia exempla in Miscellaneis Naturae Curiosorum (m) & apud DO-

(f) lib. 22. salubr. cap. 14. (g) lib. 12. Dipnosoph. cap. 4. fol. m. 515. (h) Decur. 3. A. 7. & 8. obs. 152. Decur. 1. A. 4. & 5. obs. 57. (i) Apiario obseruat. Med. obs. 87. (k) M. N. C. D. 1. A. 2. obs. 236. (l) Adenograph. Curios. c. 4. (m) Dec. 2. A. 1. obs. 183. D. 2. A. 6. obs. 34.

DOMINICVM de MARCHETTIS (n) relata legimus.

XVII. Vberior in praeſentibus ſterilitatis cauſis explicatio minus neceſſaria, multa uero occurrunt, quorum ratio operandi admodum difficilis enodatu eſt; huc merito trahendum, quod HIPPOCRATES de fluxu menſtruo protulit, ἢν μὴ, ait idem, (o) ἀποκένωτε τοῦ αἵματος ἡ γυνὴ, οὐ λαμβάνει ἐν γαστρὶ, ſi mulier menſtrua careat purgatione, utero non concipit; ſi idem Hippocrates, de iis, qui ob tenellam aetatem nondum expertae ſunt fluxum menſtruum, uel in quibus idem ob plurium annorum decurſum, iam ceſſauit, intellexit, uera eundem utique dixiſſe, fateri tenemur; at enim uero, ſi, uti alii hoc explicant, HIPPOCRATIS mens eſt, foeminam iuſtae magnitudinis & firmae ualetudinis, non poſſe ante, quam menſtruam habuerit purgationem, concipere, a uero eundem aberraſſe, docet experientia. Ita RONDELETIVS (p) refert, ex abſceſſu mulieris Montisbani calculum prodiiſſe, eamque poſt uarios eosque grauiſſimos, quos ſuſtinuit, dolores, in tabem incidiſſe, eamque, quanquam nunquam fluxum menſtruum experta fuerit, duodecies tamen peperiſſe. Foeminas & uirgines Braſilienſes ſine hoc fluxu optime ualere, & foecundas eſſe, PLATERVS commemorat; quod OLEARIVS (q) pariter de Groenlandicis foeminis perhibet. Plures hiſtorias mulierum, quae a fluxu menſtruo omnino liberae, conceperunt & pepererunt, apud SCHENCKIVM, (r) SEBIZIVM, (s) PANAROLAM, (t) BARTHOLINVM, (u) BINNINGERVM, (w) RHODIVM, (x) inuenimus. Et quid pluribus obſeruationibus opus? cum certum ſit, ſangui-

C nem

(n) Anat. cap. 7. (o) lib. de Natura pueri. conf. Sponius. Sect. 1. aphor. 41. (p) apud Aſſuerum diſput. de calculo cap. 4. §. 4. (q) in Itinerario Perſiae (r) lib. 4. obſ. 1. (s) Specim. Pract. Part. 5. Sect. 2. cap. 1. (t) Pentec. 1. obſ. 15. (u) Cent. 4. hiſt. 37. (w) Cent. 2. obſ. 55. (x) Ephemer. N. C. A. 6. & 7. (y) Cent. 3. obſ. 54.

nem menſtruum, neque ad conceptionem, neque ad foetus formationem & conſeruationem, neceſſarium eſſe.

XIIX. Certius uidetur fundamentum & probabiliores ſunt rationes, quibus HIPPOCRATES (z) niſus, uteros nimis denſos, frigidos & humidos nimisque ſiccos & calidos ad concipiendum inidoneos pronunciat, & hoc ſequentibus probare geſtit: *ὁκόσαι ψυχρὰς ϗ πυκνὰς τὰς μήτρας ἔχουσιν, οὐ κυίσκουσι ϗ ὁκόσαι κατύγρους ἔχουσι τὰς μήτρας, οὐ κυίσκουσιν, ἀποσβέννυται γὰρ αὐταῖς ὁ γόνος· ϗ ὁκόσαι ξηρὰς, μᾶλλον ϗ περικαέες, ἐνδείῃ γὰρ τροφῆς φθείρεται τὸ σπέρμα. Ὁκόσαι δὲ ἐξ ἀμφοτέρων τὴν κρᾶσιν ἔχουσι σύμμετρον, αἱ τοιαῦται ἐπίτεκνοι γίγνονται.* Nam in uteri denſi, frigidi & humidi, cauſam ſterilitatis conſtituentis explicatione, non ad tardiorem modo ſuccorum motum, uiſcoſae & ſeroſae abundantiam materiae, atque ab his proueniens frigus, ſed ad elaſticae etiam defectum uirtutis & fibrarum uaſorumque uterinorum atoniam reſpiciendum, quae efficiunt, ut liquor maris genitalis in aruum muliebre proiectus, tenacis copia pituitae obrutus nihil praeſtare queat partim, partim ex utero nimis laxo & flaccido denuo quaſi per lubricum profundatur, aut etiam, ſi uteri orificium nimia pinguedine aut muco obſitum eſt, ne admittatur quidem. Non eum in finem haec adduco, ut errori, in quo uerſatur HIPPOCRATES, (a) patrocinium conſtituam, qui in obeſis foeminis os uteri a ualde pinguis mole omenti comprimi, compreſſioneque iſta ſemini aditum intercludi, & hoc modo ſterilitatem induci, aſſerit: *ὁκόσαι παρὰ φύσιν παχεῖαι ἐοῦσαι μὴ ξυλλαμβάνουσιν ἐν τῇ γαστρὶ, ταύτῃσι τὸ ἐπίπλοον τὸ στόμα τῶν ὑστερῶν ἀποπιέζει, ϗ πρὶν ἢ λεπτυνθῆναι, οὐ κύουσιν*, quae praeter naturam craſſae exiſtentes non concipiunt in utero, his omentum os uteri comprimit, & priusquam attenuentur, praegnantes non fiunt. Sed ea, quae hic ſupponitur, oris uteri, ab omento pinguiore incumbente preſſio, autopſiae & principiis

(z) Sect. 5. aphor. 62. (a) Sect. 5. aphor. 46.

piis anatomiae repugnat, potius credendum, ouaria a maiore omenti plus ultra deorſum protracti mole atque oleoſo lentore comprimi, inuiſcari & ouulorum ad uterum deſcenſum impediri; quod pariter NVCKII (b) obſeruatio confirmat, qua docemur, ſterilitatis cauſam in uiſcoſae abundantia materiae haud raro latere, quae teneriores ouulorum partes obſtruendo & comprimendo, genitalis tranſitum liquoris impedit. Quibus & hoc accedit, quod in commemoratae foeminis naturae ab obſtructis limphaticis tubarum fallopianarum uaſis, iisque uehementer dilatatis, premendo ouariorum latera, atque ouulorum in tubas introitum impediendo, ſterilitas inducatur. Contrariam ſterilitatis cauſam, nutritii nempe defectum ſucci in ſiccioribus HIPPOCRATES eo, quem, iam citaui, aphoriſmo, allegat, & cumprimis per nimiam uteri ſiccitatem nimiumque calorem, ſalis acris ſero minus temperati praedominium, gelatinoſae inopiam limphae, & maiorem, quam decet, fibrarum uteri uim elaſticam intelligit.

XIX. Ex iis autem, quae de diuerſis conceptionis uenenis ſeu ſterilitatis cauſis, ex Hippocrate in medium protuli, oſtenditur nobis uia, ſuccinctum, de eſſentiis, pulueribus et ſpiritibus uniuerſalibus ſterilitatem curantibus, iudicium ferendi. Permultae enim ſterilitatis cauſae ita ſunt comparatae, ut nullam penitus medelam admittant; plures uero auferri poſſunt, ſed ad hoc perficiendum, appropriata requiruntur ſubſidia. Quis uero, cui uaria ſterilitatis origo nota & perſpecta, unum idemque remedium omnibus ſterilitatis cauſis tollendis accommodatum & ſufficiens eſſe, affirmabit? De ceteris nihil dicam, ex duobus ſaltem ſterilitatis uitiis, quorum Hippocrates antecedentibus aphoriſmis fecit mentionem, quam inania ſint, quae de certa atque uniuerſali foecunditatem promouentium rememediorum uirtute afferuntur, indicabo; primum uitium in ſolidorum uteri laxitate, ſtupore ac ſegnitie, nec non limphae

(b) Adenographia Curioſa uteri foeminei Anat. noua. cap. 6. p. 73.

craſſae & uiſcidae exceſſu, alterum in rigiditate, nimia ui elaſtica & ariditate conſiſtit. Variae illae cauſae uariandae indicationi anſam praebent, uariaque ad arcendam ſterilitatem poſtulant remedia, quandoquidem ad promouendam conceptionem in obeſis & ſeri abundantia ſolidorumque laxitate laborantibus remedia ſalino-fixa & uolatilia, limpham tenacem reſoluentia, abundantem euacuantia, cum martialibus adhibenda ſunt, quae ſi in ſterilitate a ſeri defectu, fibrarum fortiore elatere & ariditate proueniente adhibere uellemus, non omnem modo ſpem foecunditatis aufferrent, ſed toti machinae detrimento eſſent. Horum loco in praeſenti ſtatu, emollientia, ſeroſa, gelatinoſa & refrigerantia nitrata uſurpanda ſunt.

XX. A ratione alienum hoc multis uidebitur, quibus perſuaſum eſt, nitrata & ſimilis medicamenta genii, uim ueneri & generationis negotio abſolute inimicam poſſidere, aſt cum illi rationem atque experientiam, duces non ſequantur, ſed incertis quibusdam ſuffulti obſeruationibus, id, quod in quodam euenit indiuiduo, toti generi commune eſſe, autument, operae pretium non duco, ſententiae iam diu exploſae diutius inhaerere. De eo enodando magis occupati erimus, quod apud Hippocratem de Scytarum gente & frequenti illis ſterilitate relatum legimus, aliam uero ſterilitatis cauſam in maribus, aliam in foeminis adducit; in mulieribus nimiam obeſitatem ab otio & luxu deriuandam, in uiris ſeminis corruptionem & defectum, a nimia equitatione & uenarum pone aures ſitarum ſectione arceſſendum accuſat: (c) τῆσι δὲ γύναιξιν ἡ πιότης τῆς σαρκὸς ϗ ὑγρότης, mulieres uero pinguedo carnis & humiditas ſteriles facit; & paulo poſt: Τὸ δὲ ςόμα τῶν μητρέων ὑπὸ πιμελῆς ξυνκλείεται, ϗ ὀυχ ὑποδέχεται τὸν γόνον· αὗται δὲ ἀταλαίπωροι ϗ πιεραὶ, ϗ αἱ κοιλίαι ψυχραὶ ϗ μαλθακαὶ, ϗ ὑπὸ τουτέων τῶν ἀναγκέων ὀυ πολύγονόν ἐςι τὸ γένος τὸ Σκυθικὸν, quin

(c) Libro de Aere, aquis & locis edit. Baſil. cum Comment. Zwingeri p. 254. & 255.

quin etiam ipſum uteri os prae pinguedine occluditur, ut nequeat ſemen ſuſcipere; ſunt enim ſegnes & pingues, ac uentres frigidos & molles obtinent; Vnde neceſſario ſequitur, non adeo foecundam eſſe Scytharum gentem. In determinando ueneno, quod uiris ſterilitatem inducit, haud ſibi ipſi conſtans eſt HIPPOCRATES, nam primum culpam coniecit in temperamenti frigidi praedominium & nimiam corporis debilitatem, ab immoderata equitatione ortam; deinceps idem a uenis pone aures ſectis uult deducere: *πολύγονον δὲ οὐχ οἷόν τε εἶναι φύσιν τοιαύτην· οὔτε γὰρ τῷ ἀνδρὶ ἡ ἐπιθυμίη τῆς μίξιος γίνεται πολλὴ διὰ τὴν ὑγρότητα τῆς φύσεως, καὶ τῆς κοιλίης τὴν μαλθακότητά τε καὶ τὴν ψυχρότητα, ἀπὸ τῶν ἥκιστα εἰκὸς εἶναι ἄνδρα οἷόν τε λαγνεύειν· καὶ ἔτι ὑπὸ τῶν ἵππων ἀεὶ κοπτόμενοι ἀσθενέες γίγνονται εἰς τὴν μίξιν*, neque uero fieri poteſt, ut foecunda ſit eorum natura, quum uiri ob nimiam corporis humiditatem, uentrisque mollitiem ac torporem, deſiderio cum foeminis coeundi haud flagrent; his adhuc accedit laſſitudo ex continua equitatione contracta, quae eos ad concubitum impotentiores reddit. His cauſis HIPPOCRATES iure meritoque acquieſcere potuiſſet, (quamquam & in his fallaciam cauſae committi, deinceps demonſtraturi ſimus,) & ſuperuacanea, imo ſpuria eſt ratio ſterilitatis, quam a uenarum pone aures ſitarum ſectione deducit; ſi enim idem deriuaſſet a nimia ſanguinis euacuatione, cauſa eſſet certiſſima atque in promptu poſita, quae tamen reparata priore & ſufficiente ſuccorum quantitate, denuo ceſſaret; & initio hanc quoque opinionem uidetur fouere, nam explicato modo, quo Scythae nimia equitatione in arthritidem & paralyſin pedum incidere dicuntur, haec deinceps de illorum methodo medendi ſubiungit: *ἰῶνται δὲ σφᾶς αὐτοὺς τρόπῳ τοιῷδε, ὁκόταν ἄρχηται ἡ νοῦσος, ὄπισθεν τοῦ ὠτὸς ἑκατέραν φλέβα τέμνουσιν· ὅταν δὲ ἀποῤῥυῇ τὸ αἷμα, ὕπνος ὑπολαμβάνει ὑπὸ ἀσθενείας, καὶ καθεύδουσιν· ἔπειτα ἀνεγείρονται, οἱ μέν τινες ὑγιέες ἐόντες, οἱ δε οὔ. Εμοὶ μὲν οὖν δοκέει ἐν ταύτῃ τῇ ἰήσει*

διαφθείρεσθαι, medentur autem sibi ipsis hoc modo, in ipso morbi principio utramque uenam post aures incidunt, multo igitur sanguine promanante somnus eos corripit prae imbecillitate, & sic obdormiunt, mox expergiscuntur, alii quidem sani, alii uero minime; atque mihi sane uidentur ea methodo medendi seipsos perdere. Adducit hic HIPPOCRATES nimiam sanguinis euacuationem uires prosternentem & simul materiam liquoris genitalis secretioni accommodatam euacuantem; uerum quod causam sterilitatis non ab excretorum succorum quantitate, sed a peculiari illorum qualitate deducat, confirmatur sequentibus: εἰσὶ δὲ παρὰ τὰ ὦτα φλέβες, ἃς ἐάν τις ἐπιτάμῃ, ἄγονοι γίνονται οἱ ἐπιτμηθέντες. Ταύτας τοίνυν μοι δοκέουσι τὰς φλέβας ἐπιτάμνειν, uenae enim pone aures sunt, quas, si quis secet, sterilitatem inducit his, quibus secantur, quas ipsas ab illis etiam incidi puto. Et certe non credidissem, hanc ueram & genuinam HIPPOCRATIS esse mentem, nisi eandem sententiam iisdem fere uerbis ab eodem repetitam alio loco (d) inuenissem; ἄλλαι δύο φλέβες, inquit idem, ἀπὸ τῆς κορυφῆς παρὰ τὰ ὦτα ἐν τοῖς ἔμπροσθεν τοῦ τραχήλου ἑκατέρωθεν ἐς τὴν κοίλην φλέβα καλεομένην φέρονται. Αὗται καὶ ἄκαρπον ποιέουσι τὸν ἄνθρωπον, ὅταν ἀποτμηθῶσιν, αἳ καὶ ἐς μεγάλους δακτύλους τελευτῶσιν, aliae duae uenae a uertice iuxta aures ab anteriore colli parte utrinque ad cauam appellatam uenam feruntur. Et hae ipsae infoecundum reddunt hominem, si aperiantur, & in magnos digitos desinunt. Hic diu anceps haesi, nec, quid facerem, inuenire potui, nam hic rationales sterilitatis causas partim, partim aniles & absonas penitus inuenimus. Vbi hoc minime reticendum, quod LAVRENTIVS, (e) qui reprobans HIPPOCRATIS dogma, alias infoecunditatis in Scythis causas adducere uoluit, rem acu minime

(d) lib. de Locis in homine, edit. Basil. cum Comment. Zwingeri, p. 345. (e) lib. 8. suae Anat. quaest. 4. conf. Casp. a Reies Elysius iuc. Qu. Campus, qu. 56. §. 24.

nime tetigerit, nam primum in equitationem, deinceps in malum ischiadicum, & denique in nimiam sanguinis euacuationem, culpam coniecit, quas causas tamen omnes iam allegauit HIPPOCRATES; potiores restant, quinimo effectum cum causa confundi reor, & hoc exinde demonstro, quia Cous noster, libro allegato refert, ditissimos saltem Scytharum, minime uero infimos & pauperes hoc malo laborare, ita ut non ab equitatione, sed ab intempestiue culta nimiaque uenere arthritidem & impotentiam coniugalem contrahant. Praeterea uitium infoecunditatis magis in foeminis, quam in uiris quaerendum, & hoc pariter Hippocratis testimonio confirmare possum, qui eodem, quem citaui, loco, perhibet, quod famulae Scytharum, quanquam ipsae uiros non appetant, facile, si cum illis congrediantur, concipiant.

XXI. Illi, qui cum LEEVWENHOECKIO seminis uirilis substantiam uerminosam pronunciant, ea omnia remedia, quae anthelmintica dicuntur, in catalogum uenenorum sterilitatem inducentium referunt; hinc tam male audiunt aloetica, mercurialia, oleosa, aliaque quae ad uermes enecandos atque expurgandos adhibemus. Sed quis huic sententiae subscribet, cum huiusmodi uermes ficti partim, partim praeternaturales sint? Quis credet, haec remedia enecando uermes liquorem genitalem constituentes, sterilitatem efficere, cum uermibus, qui praeter naturae ordinem in semine fuerunt, interemtis, coitus isque foecundus fuerit celebratus? Si uero patrocinium tuae sententiae in saliuatione mercuriali sterilitatem generante quaeris, consideres, quaeso, numne alia, sequentis impotentiae coniugalis, eaque manifestior causa adsit; minime enim mirandum, si ille, qui ob uenereain, qua laborat, luem, infoecundus, post saliuationem mercurialem, existit; non tamen mercurialibus remediis impotens maritale debitum persoluendi redditus fuit, sed iam impotens fuit. Qua enim ratione ab illo coitum foecundum expectare uel desiderare potes, qui nimia

mia libidine, nimioque & nimis frequenti genitalium exercitio, omne robur omnemque uigorem perdidit, & erosa, cicatrice ac callo affecta, aut maximam partem consumta habet genitalia. Ac si quaedam hic mercurialium uis est, eadem non enecando uermes, sed potius succos gelatinosos resoluendo, dissipando, exhauriendo, & solida nimis premendo, nimis crispando atque exsiccando, tum toti corpori, tum partibus seminis secretioni, asseruationi atque emissioni destinatis iniuriam inferunt. Nec alium modum operandi agnosco aloeticorum & similis anthelminticorum indolis, nam eadem subiectis seri abundantiam possidentibus praescripta, nullum creabunt incommodum, nullum ueneri afferent impedimentum, illi potius stimulum addent; ast aliter plane idem se habet, si siccioribus serique defectu laborantibus exhibeantur, exiguam enim residuae limphae quantitatem subtrahendo, exarescunt fibrae, eaeque omni tono destitutae munia sua rite obire amplius nequeunt.

XXII. Aliae sunt uires, aliaque habet Epimedium principia, constat nempe materia uiscida & narcotica, & hinc, uti monet PLINIVS, (f) epimedium foeminis cauendum, quia radix illius, ob excedentem uim spissandi & refrigerandi, conceptum adimit, quae uirtus quoque illius foliis tritis atque epotis tribuitur. Clarior descriptio uirtutis adstringentis, & sterilitatem inducentis, quam in Epimedio deprehendimus, apud DIOSCORIDEM (g) prostat: *ἐπιμηδίου τὰ φύλλα λεῖα μετ᾽ ἐλαίου, κατάπλασμα μαστῶν εἰς τὸ μὴ ἄυξεσθαι. Ατόκιός τε ἡ ῥίζα· καὶ τὰ φύλλα λεῖα πυθέντα ἐν ὄινῳ μετὰ τὴν κάθαρσιν ∠ ε. πλῆθος, ἐπὶ ἡμέρας ε ἀσυλλήπτους τηρεῖ*, Epimedii folia ex oleo trita & mammis cataplasmatis forma applicata, earum incrementum, fortiter adstringendo, impediunt. Radix spem partus adimit; folia quoque trita & post menstruam purgationem quinis drachmis in uino pota, quinque diebus, in mulieribus, ne concipiant, efficiunt.

(f) Hist. Nat. lib. 27. cap. 9. (g) Oper. lib. 4. cap. 19. p. m. 252.

ciunt. Ob eandem cauſam radicem Filicis, quam Thelypterum appellat DIOSCORIDES, mulieribus PLINIVS interdicit, quia grauidis abortum, ceteris ſterilitatem inducat. Verum, ſi allegatae radicis principia examinamus, copioſas partes terreas, acidas & ſulphureas deprehendimus, unde eadem ſcopo roborandi & laxiores fibras firmandi, ſaepius in aegrotis uiſcerum obſtructione laborantibus uino macerata atque infuſi forma epota praeſcribitur, & KOENIGIVS (h) refert, quod decoctum huius radicis ordinarii loco potus uſurpatum aliquot calculoſos, podagricos & hydropicos curauerit. Quanquam uero ex his colligere queamus, quod allegata radix uim ſtimulandi poſſideat, tanta uero eadem non eſt, ut organorum genitalium bonam diſpoſitionem deſtruere & conceptionem impedire poſſit. Allegatur quidem praeter PLINIVM, DIOSCORIDIS teſtimonium, qui radici filicis pariter uim corrumpendi mulierum genitalia tribuit, ſcribens: *γύναιξι δὲ δοθεῖσαι ἀσυλληψίαν ποιοῦσι· κἂν ἔγκυος δὲ διαβῇ, ἐκτιτρώσκει*, datae, nempe filicis radices, foeminis, conceptum impediunt; quod ſi a grauida ſumantur, abortum illa facit. At enim uero, nec DIOSCORIDIS nec PLINII autoritatem tanti facio, ut omnia, quae propoſuerunt, tanquam certiſſima atque euicta, credenda iudicem; cum enim uim foecunditati inimicam, quam filicis radici tribuunt, nulla ratione ex principiis illius probare queant, atque obſeruationes plures contrariam uirtutem oſtendant, illas, quas e commemoratis autoribus, citaui, relationes, anilibus annumerare, nullus dubito.

XXIII. Mira & contraria partim, partim incredibilia de Mentha ac latente in eadem conceptionis ueneno in medium attulit DIOSCORIDES; fide primum haud dignum, *ἡδίοσμον*, uti ſcribit allegatus Autor, (i) *γύναιξι πρὸ τοῦ πλησιάζειν προστιθέμενον, ἀσυλληψίαν ἐργάζεσθαι*, mentham mulieribus

D

(h) Regno Vegetabili Sect. 4. p. 841. (i) Oper. lib. 3. cap. 41. p. m. 189.

bus ante coitum ſubditam, conceptioni reſiſtere; nam idem nec rationis, nec experientiae ſubſidio confirmari poteſt. Deinceps DIOSCORIDES modo commemoratae ſententiae immemor ſibi contradicit, aſſerens: *ἡδύοσμον ἀφροδίσιά τε ἐρεθίζειν*, mentham ueneri ſtimulum addere; quod quidem ueritati reſpondet, aſt ob uolatilis oleoſi exceſſum ſalis, eadem nimis irritando, in ſubiectis ſiccioribus nimiam ariditatem generat, quod probe perpendit HIPPOCRATES hunc in modum menthae uires atque operationem deſcribens: (k) *μίνθη θερμαίνει καὶ οὐρέεται, καὶ ἐμέτους ἵστησι, καὶ ἢν πολλάκις ἐσθίῃ τις, τὸν σπόρον αὐτοῦ τήκει, ὥστε ῥέειν, καὶ ἐντείνειν κωλύει, καὶ τὸ σῶμα ἀσθενὲς ποιέει*, mentha calefacit & urinam ciet, ac uomitus ſiſtit; & ſi quis eandem ſaepe comedat, genitalem liquorem colliquat, ut profluat, ad haec erectionem inhibet & corpus debile reddit. Haud credendum, quod HIPPOCRATES illud detrimentum a menthae legitimo uſu deducat; multo minus iudicandum, quod Cous noſter abſolutam menthae ſterilitatem inducendi uim tribuat, ſed ille uberiorem & crebriorem ſaltem menthae uſum, abuſum potius, repudiat, nam *ἢν πολλάκις ἐσθίῃ*, h. eſt, ſi quis ſaepe numero ea ueſcatur, ſi quis eadem quotidiani loco alimenti, uel cum, uel ſine aliis, utatur, tunc, in ſiccioribus praeſertim, ſuccos gelatinoſos reſoluendo, eosque tam per ſudorem & urinam, quam nocturnarum pollutionum uel gonorrhoeae forma diſſipando, totius corporis imbecillitatem atque impotentiam coniugalem affert. Ex his quoque petenda prouerbii graeci explicatio: *μίνθην ἐν πολέμῳ μήτ' ἔσθιε, μήτε φύτευε*, mentham nec comedes, nec plantes tempore belli. Pluribus quidem, inter quos etiam laudandus BEVEROVICIVS, (l) perſuaſum, quod idem ob uenenum uenerem extinguens, in hac herba occultum, factum ſit; unde quoque *κακὴν βοτάνην*, malam

(k) Lib. de Diaeta 2. §. 275. p. 474. edit. Baſil. cum Commentario Zwingeri (l) Doctorum Virorum epiſtolis & Reſponſ. p. 150. & ſequ.

malam herbam, eandem Oppiani Interpres appellabat, & FLORENTINVS (m) ἡδύοσμον εἰς τὰ ἀφροδίσια ἀνεπιτήδειον, mentham ad ueneris uſum minus aptam atque accommodatam pronunciabat; ſed re ipſa exactius perquiſita, non ob uim antaphrodiſiacam, ſed potius ob praedominium ſalis acris uolatilis nimis reſoluentis corpora continuo belli tumultu delaſſata, ne maior uirium proſtratio accederet, menthae uſus damnabatur. Haec, cum omnibus ſint in confeſſo, cum quiuis, cui integrum eſt ſenſuum exercitium, odoris ſaporisque adiumento, ſalis uolatilis oleoſi in mentha reſidentis copiam cognoſcere queat, ualdopere mirandum, quod ARISTOTELES in reddenda allegati prouerbii graeci ratione occupatus, menthae nimiam uim refrigerandi accuſet, (n) ἢ ὅτι καταψύχει τὰ σώματα, δηλοῖ δὲ ἡ τοῦ σπέρματος φθορὰ, τοῦτο δὲ ὑπεναντίον πρὸς ἀνδρείαν καὶ θυμὸν, ταὐτὸ ὂν τῷ γένει, an quia mentha refrigerat corpora, ut genitalis corruptione ſeminis conſtat? id autem ipſum inimicum eſt fortitudini atque animoſitati, quamuis genere ſit idem. Nec melius hic ARISTOTELEM excuſare poſſumus, quam ſi cum MERCVRIALI (o) aſſeramus, eſſe errorem typographicum, & pro καταψύχειν refrigerare, legendum κατατήκειν colliquare; uel cum ANCHISE ab ANDLA (p) perhibeamus, quod τὸ καταψύχειν non de prima actione, quae immediate menthae uſum ſequitur, ſed de habitu conſequente ſit intelligendum.

XXIV. Nec ita lis & controuerſia, quae inter Phyſicos de antaphrodiſiaca menthae ui agitatur, dirempta eſt, ſed nouae iterum eaeque minus fundatae in ſcenam prodeunt ſententiae; nam LAZARVS *de* SOTO in ea eſt perſuaſione, (q) quod autores, qui affirmarunt, mentham ueneri aduerſari, ſylueſtrem intellexerint, quae quippe longe penetrantior atque acrior ſatiua

 exiſtit,

(m) 12. Γεωπονικῶν (n) Probl. 2. Sect. 20. (o) IV. Var. Lect. 8. (p) Beucrouicii D. Virorum Epiſt. & Reſponſ. p. 159. (q) Comment in l. Hippocr. de locis in homine text. 16.

exiſtit, cum econtra illis de ſatiua ſit ſermo, qui menthae uim aphrodiſiacam tribuunt. Verum, cum alii autores hanc eamque diſcrepantem de menthae uirtute, opinionem ex Dioſcoride hauſerint, ille uero libro & loco iam allegato, περὶ ἡδιόσμου ἡμέρου, de mentha ſatiua agat, & illi ſimul uim uenerem ſtimulandi & conceptionem impediendi tribuat, commemorata opinio nullo digna applauſu. Aliam, ad hoc expediendum, uiam ſibi elegerunt FREYTAGIVS, (r) LEMNIVS, (s) RVELLIVS, (t) illi quippe perhibent, quod mentha ſatiua uiros, ui nimis ſiccante, ſeminisque ſecretionem impediente, ſteriles reddat, foeminas uero liquore genitali frigidiore inſtructas, maſſam craſſiorem attenuando, ad libidinem excitet. Habet haec opinio ueritatis ſpeciem, imo uerum falſo intricatum eſt; magis enim mentha illis obeſt, maiusque affert detrimentum, qui ſanguine feruidiore & fibris rigidioribus atque elaſticis ſunt praediti, talis uero ſolidorum & fluidorum conſtitutio non in uiris modo, ſed in foeminis etiam reperitur, ita quoque idem comparatum cum emolumento menthae, quod eadem in iis, quorum uilli motrices ſunt laxiores, & qui corpus ſuccis uiſcidis oppletum obtinent, praeſtat; non autem in foeminis duntaxat, ſed in multis quoque uiris, talis, quam deſcripſi, diſpoſitio, & frigidum, uti antiquis Philoſophis appellabatur, temperamentum inuenitur.

XXV. Eandem uim Rutae, nempe aphrodiſiacam in foeminis, antaphrodiſiacam in uiris, Schola Salernitana tribuit, ubi ſequentia uerba leguntur: Ruta uiris coitum minuit, mulieribus auget; ſed hic idem tenendum, quod iam antecedentis fine capitis, de diuerſa menthae ſexum reſpicientis uirtute commemoraui. Communis atque uniuerſalis eſt de ruta traditio, quod ueneris reſtinguat ſtimulos, atque utrumque ſexum, tam ad generandum, quam ad concipiendum impotentem reddat; ex eorum nume-

(r) in Aurora lib. 3. cap. 30. (s) de Complexionibus cap. 10.
(t) de Natura Stirpium cap. 37.

numero quoque est Macer sequentibus hoc confirmans: expellit partus pota, ueneremque coercet. Ad haec respiciens Nicandri interpres, rutam, πήγανον, h. e. remedium semen compescens, appellabat; rutam, inquit PLVTARCHVS, (u) quam peganon uocant, apud illos a facultate nomen accepisse tradunt, siccitate enim, quam ui caloris possidet, genitale semen cogit & coagulat, penitusque uterum gerentibus inimica est. Atque ideo sacerdotes & mystae gentilium sacris initiati, ad conseruandam castitatem, ruta utebantur. Eandem de ruta fouet sententiam PLINIVS, (w) idemque ex his, quae apud eundem leguntur, uerbis, confirmari potest: ex reliquis, quae traduntur, mirum est, cum feruentem rutae naturam esse conueniat, fasciculum eius in rosaceo decoctum, addita uncia aloes, perunctis sudorem reprimere; itemque generationes impediri hoc cibo, ideo profluuio genitali datur, & uenerem crebro per somnia imaginantibus; praecauendum est grauidis, abstineant hoc cibo, necari enim partus inuenio. Si in causam effectuum, quos rutae Plinius tribuit, inquiris, haud aliam, quam salis uolatilis oleosi nidorosi copiam inuenies, unde eadem non nisi siccioribus aduersa, nec parcior dosis nocet; hinc multi cumprimis seri uiscidi abundantia laborantes cum maximo emolumento quotidie ruta cum butyro & pane uescuntur; multi quoque hoc remedio ad restinguendam libidinem frustra fuerunt usi, ac multae grauidae, quorum genitalia cumprimis laxiora, ex rutae cum butyro usu maximum perceperunt fructum, illae in specie, uti testatur KOENIGIVS, (x) quae passioni hystericae & cephalalgiae sympathicae sunt obnoxiae.

XXVI. In classem uenenorum sterilitatem inducentium a multis quoque nymphaea refertur; qui nymphaeam biberint, scribit PLINIVS, (y) duodecim diebus coitu genituraque priuantur,

(u) in Sympos. Decad. 3. (w) Hist. Nat. lib. 20. cap. 13. p. m. 370. (x) Regn. Vegetabili, Sect. 4. p. 990. (y) lib. 25. c. 7. & l. 26. c. 20.

uantur. Idem de eadem tradit DIOSCORIDES, (z) *πίνεται δὲ ἡ ῥίζα καὶ πρὸς ὀνειρωγμούς, παραιτεῖται γὰρ τούτους· ἀτονίαν δὲ ἐργάζεται αἰδοίου πρὸς ὀλίγας ἡμέρας, εἴ τις ἐνδελεχῶς πίνει· τὸ αὐτὸ δὲ ποιεῖ καὶ τὸ σπέρμα ποθέν*, eadem, nempe nymphaeae radix, contra ueneris insomnia bibitur, siquidem illa in totum adimit, quin & aliquot diebus continenter epota, genitale membrum ita infirmat, ut arrigi minime possit; idem quoque semen illius in potu usurpatum praestat. Similem quoque uim antaphrodisiacam nymphaeae GALENVS (a) adscribit. Quo uero iure nymphaea inter uenena impotentiam coniugalem inducentia, referatur, non perspicere queo; ea enim analysi chymica examinata plurimum acidi atque olei praebet, (b) & hinc egregie salia acria in sanguine excedentia temperat; radix eius nonnihil uiscosa est, & aliquid salis nitrosi in sinu suo fouet, quam ob causam decoctum illius ad compescendum sanguinis orgasmum laudatur, & ptisana exinde parata in ardore urinae, inflammatione renum, uesicae, prostatarum atque urethrae commendatur, & cum exoptato successu, uti docet KOENIGIVS, (c) adhibetur. Debile, hac ratione, nymphaea, castitatis subsidium, uti plures, qui eandem ad oestrum uenereum restinguendum adhibuerunt, experti sunt, nec meliorem noui obseruationem, qua ab omni ueneni genitalibus inimici suspicione nymphaea liberatur, quam eam, quae Anthropologia mea ad Pathologiam applicata, allegatur: (d) incolae enim insulae Seeskarensis prope Narwam, cum A. 1709. mense Augusto, frumentariae penuria rei laborarent, & radice nymphaeae luteae in puluerem redactae, cui uis uenerem cohibendi & sterilitatem inducendi tribuitur, uesci cogerentur, nullum in genitalium functione incommodum aut decrementum senserunt, sed se strenuos in ueneris bello milites, larga eo anno procreata sobole, exhibuerunt.

XXVII.

(z) lib. 3. c. 145. (a) lib. 8. de simplic. facult. (b) uid. *Extrait des Registres de l' Academie Royal. des Sciences.* (c) Regn. Veget. Sect. 4. p. 939. (d) Cap. 21. §. 26.

XXVII. Nec aliter iudicandum de lactuca, portulaca, plantagine & ſalice, in hiſce enim omnibus maſſam uiſcoſam, in qua particulae nitroſae incluſae ſunt, deprehendimus, ita, ut hiſce herbis, & remediis ex illis confectis, ſummo cum emolumento hectici omnesque, qui ſanguine tenuiore atque acriore gaudent, uti queant. Et licet VEIGA (e) affirmet, tantam eſſe uim refrigerandi & condenſandi in lactuca, ut ſuccus illius duarum unciarum quantitate hauſtus homines interimat; licet idem de lactuca publice VARANDAEVS in cathedra Monſpelienſi, uti confirmat CASP. a REIES, (f) profeſſus fuerit, meliora uero edocti, nulli dubitamus, has hiſtorias figmentis annumerare, ratio quippe cum experientia iuncta contrarium docet. Quibus ſubſidiis inſtructi illorum etiam ſententiam oppugnamus, quibus lactuca uenenum ſterilitatem inducens dicitur; ex illis primum allegandus DIOSCORIDES, (g) qui hanc uim, tam ſatiuae quam ſylueſtri lactucae adſcribit: *τὸ δὲ σπέρμα αὐτῆς πινόμενον τοῖς συνεχῶς ὀνειρόττουσι βοηθεῖ, καὶ συνουσίαν ἀποστρέφει*, epotum uero ipſius ſemen, uenerem aſſidue ſomniantibus opitulatur, & concubitum arcet. Idcirco euuchus a Pythagoricis lactuca appellatur, uti ex Ibyco Pythagorico ATHENAEVS (h) refert, quem deinceps TIRAQVELLVS (i) ſecutus fuit. Ex eadem ratione mulieres Graecae lactucam *ἀστύλιδα* nominarunt, quod *τὸν στύλον* arrigi impediret. Adeo haec ſuperſtitio multorum animis inhaeſit, ut, obſeruante PLINIO, (k) usque ad Auguſti tempora, religio eſſet, lactucis ueſci. Hodie uero eadem absque ullo ueneris impedimento in magna quantitate deuoratur, ita ut iam omnis metus de antaphrodiſiaca illius ui euanuerit. Nec pluribus ab hoc uitio uindicanda portulaca, quam ueneri & foecunditati aduerſam eſſe PLINIVS (l) tra-

(e) lib. 2. de Art. med. cap. 7. (f) Elyſ. iuc. qu. Campo. qu. 44. §. 10. p. 313. (g) lib. 2. cap. 165. & 166. (h) Dipnoſoph. lib. 2. cap. 32. (i) de lege connub. lib. 15. no. 46. (k) H. N. lib. 19 c. 8. (l) lib. 20. c. 20.

tradit, nam eadem iuxta TAVRY (m) demonſtrationem, & PECHLINI (n) obſeruationem, multo phlegmate acido & nitro ſcatet, unde uis illius uulneraria & refrigerans deriuanda, quam magno cum emolumento in haemorrhagiis, febribus continuis atque inflammationibus uiſcerum exſerit. Nulli uero hoc remedium potentiam coeundi aut concipiendi ademit, ſed eandem potius in ſiccioribus & cholericis auxit.

XXVIII. In ſpecie & prae omnibus aliis ad caſtitatis cuſtodiam agnus caſtus commendatur; ipſa denominatio huius herbae abunde iam docet, quod ueteres eidem peculiarem uirtutem ueneris extinguendi ſtimulos & ſterilitatem procurandi tribuerint, unde eadem herba olim Cereris uirgines utebantur, quo ab omni liberae libidine caſte uiuerent, uti ſcribit DIOSCORIDES, (o) *ὠνόμασαι δὲ ἄγνος διὰ τὸ τὰς ἐν τοῖς Θεσμοφορίοις ἀγνευούσας γυναῖκας εἰς ὑπόστρωμα χρῆσθαι*, ceterum frutex hic graecis agnus, quaſi caſtus, nominatus eſt, quod in Theſmophoriis matronae caſtitatem cuſtodientes eo ad ſtrata uterentur; cum eo conſentit PLINIVS, (p) apud quem eadem ſententia iisdem uerbis propoſita inuenitur. In uitice autem, qui agnus caſtus dicitur, ſal uolatile, quod camphorae ſimile KOENIGIVS (q) pronunciat, deprehendimus; huius igitur ope allegata herba, in ſiccioribus, quorum ſucci tenuiores & acriores, nimis exſiccando fibras & partes oleoſas ſeminis nimis reſoluendo, diſſipando, & hinc ueneris fomitem abſumendo, coeundi temperat deſiderium, raro idem penitus auffert, aut ita genitalium uigorem deſtruit, ut conſummata impotentia coniugalis hinc generetur; tantum uero abeſt, ut idem in iis, quorum ſolida laxiora, & ſanguis craſſior & aquoſior, praeſtet, ut potius in illis languentem uenerem exſuſcitet & generationem promoueat.

XXIX. Cum igitur haec, quae de agni caſti elementis atque

(m) de Medic. T. II. p. 41. (n) in obſeruat. p. m. 357. (o) lib. 1. c. 35. (p) lib. 24. cap. 9. (q) Sect. 4. p. 719.

que operatione dixi, certa ſint, quid de camphora, famigerato illo liquoris & partium genitalium ueneno, ſit ſentiendum, colligimus. De uiribus camphorae ualdopere inter ſe diſputant & diſſentiunt Medici, alii enim cum AVICENNA, SERAPIONE, LAGVNA, eandem frigidae, alii cum MATTHIOLO, (r) calidae qualitatis, alii cum RENODAEO, (s) RANCHINO, (t) ZACVTO, (u) utriusque participem eſſe, ſtatuunt; non iam multum, cui ex his opinionibus adhaerendum, deliberabo, cum haec controuerſia nullius momenti ſit, ſed paucis ſaltem ex ipſis camphorae principiis, quam obtineat uirtutem, demonſtrabo; deprehendimus in eadem ſal uolatile niuei coloris, odoris fragrantis & grauis, quod intime oleo aethereo ſeu ſubſtantiae tenui inflammabili pingui & ſulphureae eſt unitum. (w) Si itaque camphora homini gelatinoſorum inopia ſuccorum laboranti exhibetur, in quo iam materia ad ſeminis ſecretionem neceſſaria deficit, tunc certe non mirandum, ſi poſt illius uſum, ueneris languet exercitium, non autem ſpecificam poſſidet uirtutem, ſeminis ſecretionem, penis erectionem, & ipſam generationem & conceptionem extinguendi, uti plurimis perſuaſum eſt, quibus dehinc camphora ueneris ligatura & uinculum dicitur. Nec omne dubium auffert SERAPIONIS obſeruatio, (x) qui narrat, quendam ex camphorae uſu ad aureos ſex, tribus uicibus ſumtae ſeminis ſecretionem impediuiſſe, & ſterilitatem ſibi accerſiuiſſe; minime fidem derogabo huic hiſtoriae, ſed hoc ſaltem indicabo, quod hic SERAPIO ab uno indiuiduo eiusdem, quam ſupra delineaui, conſtitutionis, ad totum genus male argumentetur. Hoc praeterea probat SCALIGERVS (y) peculiari, quod cum camphora inſtituit, experimento, nam cani leporariae, quae catuliebat, camphoram obtulit, in potu dedit, in offa exhibuit,

(r) lib. 1. in Dioſcoridem cap. 71. (s) lib. 1. de Mat. med. Sect. 8. cap. 2. (t) Tract. de morbis uirginum, (u) lib. 3. de princip. hiſt. qu. 34. (w) uid. *Boccone Recherches & obſeruations Naturelles p.* 268. *& ſequ.* (x) & de ſimplic. c. 334. (y) Exercit. 104. n. 8.

hibuit, in nares indidit, & collo quotidie appendit; omnia frustra, coiuit, concepit, peperit. Irritum quidem hoc argumentum appellat CASPAR a REIES, (z) opinans, camphoram illam fortasse adulterinam fuisse, aut cani, animali calidiori, frigidam camphorae qualitatem haud potuisse nocere. Alii econtra perhibent, quod camphora non tam foeminis, quam uiris inimica sit, eosque steriles reddat, unde uersiculus: camphora per nares castrat odore mares; sed quid regeres, cum teste MVSITANO, (a) camphorae usu uiri salaciores fuerint redditi?

XXX. Praeter iam dicta sterilitatis uenena, salix quoque allegatur, illique tum ab antiquis, tum a recentioribus medicis uis foecunditati & toti generationis negotio inimica adscribitur; folia salicis trita, ait P PLINIVS, (b) & epota ueneris intemperantiam coercent, & saepius sumta in totum aufferunt; & ut olim, subiungit RANCHINVS, (c) cereris uirgines uitice utebantur, sic hodie moniales, quae caste uiuere desiderant, foliis salicis delectantur & cubicula iisdem sternunt. Eodem, de antaphrodisiaca salicis ui, praeiudicio occupatus fuit DIOSCORIDES, (d) apud quem haec leguntur: τὰ τῆς ἰτέας φύλλα καθ' ἑαυτὰ δὲ σὺν ὕδατι ληφθέντα, ἀσυλληψίαν κατεργάζεται, folia salicis sumta per se cum aqua conceptum impediunt. Veteres medicos huiusmodi fouisse errores, penitus non miror, illis quippe genuiua remediorum & uenenorum principia, ob artis chymicae ignorantiam, occulta erant, cum uero recentiores, chymiae adiumento, quae in herbis aliisque medicamentis & uenenis insit uirtus, perspicere queant, si illi, anilibus fauent traditionibus, penitus non excusandi sunt. Quid igitur de MVSITANI (e) asserto sit iudicandum, ex ipsa salicis

natura

(z) Elys. iuc. qu. campo. qu. 44 p. 313. (a) Oper. Med. lib. de Morbis mulierum, cap. 4. p. m. 450. (b) H. N. l. 24. c. 15. (c) in opusc. tr. de Virgin. morbis (d) lib. 1. cap. 136. (e) lib. & cap. cit. pag. 451.

*

natura cum uerbis allegati autoris comparata patet; nam ſalix multum olei & phlegmatis, parum uero ſalis deſtillatione fundit, unde leniter adſtringit & refrigerat; tanta uero non eſt uis illius adſtringens, ut in ſubiecto ſano, ſeminis ſecretionem, penis erectionem impedire, & bonum ouariorum, ouiductuum, uteri, ceterorumque organorum genitalium ſtatum peruertere queat, illis potius, qui ob nimium ſolidorum attritum & fluidorum tenuitatem atque acrimoniam, limphae gelatinoſae defectu laborant, ſuccurret, & temperando humorum acrimoniam, minuendoque nimiam transſpirationem, ueneri languenti opem praeſtabit. Salix igitur, non, uti perhibet MVSITANVS, (f) ex eorum claſſe eſt, quae ſemen extinguunt & conceptionem impediunt, fruſtranea igitur methodus, quam modo allegatus Medicus praeſcribit ad aquam ſalicis eliciendam atque uſurpandam, ſi primo uere, ait idem, rami tenelli ſalicum abſcinduntur, profluit liquor, quo formata maſſula, eaque mulieri propinata, efficitur, ut nunquam amplius deſiderium coeundi ſentiant, & ſi ſalicis decoctum aliquoties hauriant, ſteriles omnino euadunt.

XXXI. Res aliae econtra dantur, quibus maior uis adſtringens atque obſtruens ineſt, & quae certam, tum toti machinae, tum genitalibus in ſpecie, perniciem afferunt, huius farinae ſunt ſaccharum ſaturni, gypſum, cicuta. Huiusmodi ueneno, nempe clandeſtina ſacchari ſaturni propinatione, foeminae Principi in Hiſpaniiis ſterilitas inducta legitur. Et Franciſcus Sfortia Mediolani Dux, teſte CARDANO, (g) ſimili ueneno ad coeundum & generandum impotens redditus fuit. Facile enim credendum, haec iam enumerata ſterilitatis uenena, ſacharum nempe ſaturni & gypſum, cum ſubſtantia terrea irreſolubili conſtent, cum fortius adſtringant, in uaſis extremis non ſubſiſtere modo, tubulosque ſubtiliores, quales ſunt extremi arteriarum ſpermaticarum diametri, obſtruendo, genitalis ſecretionem liquoris

(f) lib. de morb. mulierum, cap. 4. (g) Tr. de Venenis lib. 2. cap. 1.

quoris impedire, ſed ſaepius etiam in uentriculo haerere, & coeuntibus pluribus huiusmodi particulis terreis, omnem appetitum, omneque uentriculi robur proſternere, ita, ut langueat alimentorum neceſſariorum aſſumtio, aſſumtorumque chylificatio. Eo maius eoque certius genitalibus imminet detrimentum, ſi dicta uenena immediate iisdem applicantur; ita mihi ipſi nota ſterilitas, quam uſus aquae ſacharo ſaturni ſaturatae & per ſiphonem iniectae induxit. Idem haud raro praeſtant cataplaſmata ex gypſo, ſale ſaturni & aliis huiusmodi remediis parata, ſi ſcroto, uel penis radici applicentur. Huc quoque, uti **DOMINCI LEONI** Itali obſeruationes confirmant, (h) ſeſſiones ſuper lapidem uel ferrum, epithemata ex opio, hyoſcyamo, mandragora, ſolano, haematite, calce uiua parata & teſtibus applicata, pertinent.

XXXII. Omnium autem penetrantiſſimum & certiſſimum ſterilitatis uenenum iudicatur ſuccus cicutae; hunc tantae hic efficaciae eſſe, refert PLINIVS, (i) ut teſtibus circa pubertatem illitus, uenerem omnem omneque coeundi tum deſiderium, tum potentiam extinguere dicatur; *ἡ δὲ κωνείου πόα*, ſcribit DIOSCORIDES, (k) *καὶ ἡ κόμη λεῖα καταπλαττομένη τῶν διδύμων, ὀνειρώττουσι βοηθεῖ. Παρίησι δὲ καὶ αἰδοῖα καταπλασθέντα καὶ γάλα σβέννυσι, μαστούς τε ἐν παρθενίᾳ κωλύει αὔξεσθαι, καὶ διδύμους ἀτρόφους ποιεῖ ἐπὶ παιδίων*, cicutae uero herba cum coma trita teſtibusque circumlita, in ſomno imaginationi ſimul & ſeminis profuſioni obnoxiis opitulatur; ſed & genitalia illitu effoeta languidioraque reddit; lac itidem extinguit, & mammarum in uirginibus incrementum impedit, ac puerorum quoque teſtes nutritio ſpoliatos ſucco tabe afficit, aridosque omnino reddit. Haec ab externa cicutae applicatione proueniunt mala maiora ab interno illius uſu expectanda, unde illius deglutitionem, tanquam ueneni praeſentiſſimi, penitus diſuadebant ueteres. Nec fidem habeo D. BASILIO narranti, quod quosdam uiderit, qui cicutae

(h) Art. Med. lib. 6. Sect. 3. cap. 13. (i) H. N. l. 25. c. 13. (k) lib. 4. cap. 79. p. 276.

cutae potu robiosas ueneris cupiditates atque incendia extinxerint. Similis est relatio D. HIERONYMI contra Iouianum, qui & hierophantas, aedituos, sacrorum custodiae praefectos, cicutae succo se castrasse, commemorat; hoc enim, si factum est, absque totius corporis iniuria & detrimento haud fieri potuit. Et licet etiam succo cicutae praeparato, quo, ut tradit ALEXANDER ab ALEXANDRO, (l) Sacerdotes Athenis libidinem extinguere consueuerunt, usi fuissent, nec hic absque totius corporis labe genitalium uigorem destruere potuissent, cum ante, quam ad testes ceteraque generationis organa idem deriuetur, per plura uiscera transire & cum toto sanguine circulari, necesse habeat; unde eadem herba interne usurpata ardores linguae, oris, uentriculi, intestinorum, conuulsiones, amentiam, asthma aliaque grauissima symptomata, quae accurate SIMON PAVLLI (m) & STALPART *van der* WIEL (n) descripserunt, excitat. Hinc nulli autor suasorque extiterim, cicutam, quam tamen matrimonium eiurantibus commendat TRAIVS, (o) ad castitatis tutelam libidinisque extinctionem adhibendi. Veteres fere omnes unanimi consensu affirmabant, quod Cicuta frigidae excessu qualitatis interimat & sterilitatem inducat, unde DIOSCORIDI (p) *κώνειον φθαρτικὸν κατὰ ψύξιν ἀναιρεῖν* dicebatur. Hunc deinceps PLINIVS, GALENVS, AETIVS, MESVE, AVICENNA, PETRVS de ABANO, SANTE de ARDOYNIS secuti, frigidam cicutae qualitatem accusabant, damnabant; & hic error eo usque firmum in horum Virorum autoritate propugnaculum habebat, donec tandem WEPFERVS peculiari tractatu (q) eundem ob oculos poneret & refelleret; dicta enim herba, uti analysis chymica docet, sal uolatile acre copiosum, oleo inuolutum, ad arsenici accedens naturam, cum particulis terreis in se continet, uti fere in narcoticis qui-

 busuis

(l) lib. 4. Genial. cap. 17. (m) Digress. de febr. malign. n. 2. (n) Lib. obseru. rar. obs. 43. (o) Herbar. lib. 1. cap. 159. (p) lib. 4. c. 39. (q) Tr. de Cicuta aquatica.

busuis obſeruamus; hinc folia illius, ſecundum KOENIGII (r) teſtimonium, in lacte cocta ad podagrae & haemorrhoidum dolores mitigandos externe applicata praeſcribuntur; eadem pariter cum cochleis & farina lupinorum, ad curam hydroceles, ſcopo reſoluendi, commendantur, extus quoque eadem forma emplaſtri cum Gummi ammoniaco in dolore & ſcirrho lienis & tumore glandularum colli, ſecundum ETTMVLLERI & HOFFMANNI experimenta, ad materiam uiſcidam emolliendam & diſſoluendam, laudantur. Ex his, qua ratione cicuta ſterilitatem inducat, in apricum deducitur, ſalis enim uolatilis acris ſulphuris penetrantis coniunctione exaſperati adiumento, fortius irritando fibras motrices, tenuem & ſeroſam diſſipat materiam, reſiduam craſſiorem & penitus immeabilem reddit, uaſa nimis exſiccata contrahit, liberam ſuccorum per eadem circulationem impedit, & hinc partes, quibus ſuccus uel herba applicatur, tabe afficit.

XXXIII. Quo certior, quo magis euicta uis deleteria atque antaphrodiſiaca cicutae, eo innocentior Caffeae potus, eo magis occultum, quod in illo nonnulli quaerunt, ſterilitatis uenenum; Communis fere eſt fabula, quod potus Caffeae, illos, qui hoc delectantur, elumbes atque impotentes reddat, contrarium uero docet experientia, cum plures, qui continuo, ad nauſeam usque Caffeae infuſum hauriunt, maxime alacres, maxime ſolertes in bello ueneris ſint. In quanam mundi parte frequentius & copioſius allegatum potulentum deglutitur quam in Aſia? ubi tamen unicus maritus pluribus uxoribus debitum coniugale, ea, qua deſideratur, ſatisfactione, perſoluere poteſt; certe, ſi Caffeae potus uiros eneruaret, ac genitalium functiones peruerteret, hoc impoſſibile eſſet. Multi nihiloſecius uim antaphrodiſiacam Caffeae ex hiſtoria, quam OLEARIVS (s) communicauit, probare ſatagunt, apud quem relatum legitur, quod Perſae frequenter & copioſe hunc potum ad ſterilitatem pro-

(r) Regn. animali Sect. 4. p. 789. (s) Itiner. Perſiae lib. I. p. 422.

procurandam ſorbeant, ne polygamia, numeroſiorem, quam alere poſſunt, prolem adferat. Quo uero his, quae de Caffeae fabis toſtis dicuntur, fidem faciant, Sulthan Mahumed Kaſnien, Tamerlani anteceſſoris, impotentiam coniugalem, quam ſibi immodico Caffeae potu contraxiſſe dicunt, allegant; hunc enim tantopere commemoratum potulentum amaſſe, ferunt, ut nullam penitus coniugis habuerit rationem, & debiti coniugalis fuerit negligentiſſimus. Vnde Regina hoc male ferens, cum equum in terram proiectum, qui caſtrandus erat, uideret, & ex iis, quos interrogarat, quid fieret, cognouiſſet, tandem ſubiungit, hunc proceſſum, hanc operationem nimis ambagioſam & difficilem eſſe, faciliori negotio hoc poſſe impetrari, darent equo turpem Caffeae potum, qui certò certius eundem uirtute coeundi ſit ſpoliaturus, ea penitus ratione, uti Rex per eundem elumbis atque impotens factus ſit. Si fabula uera eſt, uel Rex, ob uitium naturale, haud coire potuit, uel magnatum more, alias, Regina praeſtantiores, amauit, reginamque neglexit, quae deinceps culpam in inſons Caffeae infuſum coniecit. Nam ab his quae in Caffeae potum dicuntur, dicteriis, non quotidianus tantum uſus, ſed rationale quoque principiorum, quibus conſtat, examen, eundem uindicat; inuenit ita & demonſtrauit ope Chymiae TAVVRY (t) in Caffeae fabis ſal uolatile & fixum cum multo combinatum ſulphure, & ſubſtantia terrea; acrimoniam itaque acidam corrigit, blande adſtringit, uiſcidum diluit & reſoluit, ac dehinc in uentriculi debilitate, uomitu, obſtructione uiſcerum, capitis dolore, aliisque affectibus, quorum origo ab allegatis cauſis dependet, frequenter adhibetur; cumprimis ad curam febrium lentarum tabificarum, quas ſubinde infuſum Caffeae ſuſtuliſſe, ſcribit KOENIGIVS, (u, commendatur. Eximium quoque uſum, iuxta PROSP. ALPINI (w) obſeruationem, Caffeae deco-
[illegible] ctum

(t) Tr. de medic. T. II. p. 293. (u) Regn. Veget. Sect. 4. p. 80. (w) Tr. de Med. Aegypt. l. 4. c. 3.

ctum in mensium difficili excretione & illorum cum dolore iuncta imminutione obtinet, & praesentaneum praestat auxilium.

XXXIV. Similia fata insons & omni tum culpa tum crimine uacans Periclymenon hahuit, quod sterilitatem inducere & uirorum naturalibus praecipue noxium esse, PLINIVS (x) memoriae prodidit: Vulgo idem persuasum esse, scribit DIOSCORIDES, (y) τὴν ἀυτὴν δὲ καὶ τὰ φύλλα περικλυμένου δύναμιν ἔχει ἡμέρας λζ ποθέντα, καὶ ἀγόνους ἱστορεῖται ποιεῖν, & folia periclymeni iisdem sunt praedita uiribus, ac tricenis septenis diebus epota sterilitatem in uiris facere dicuntur. Sed quid nocebunt genitalibus folia periclymeni insipida & parum styptica? eadem quidem in decocto usurpata ulcera atque inflammationes oris & faucium tollunt, & contrita ac contusa ulceribus cancrosis applicata haud incertam praestant opem, nullum uero detrimentum ulli corporis nostri parti afferunt, nisi excedente usurpentur quantitate.

XXXV. Petasites seu persoluta nunc quoque sistenda examini, quam, uti scribit PLINIVS, (z) Aegyptus in hortis serit, coronarum gratia; duo eius genera, mas ac foemina; utraque subdita, uenerem inhiberi, uirorum maxime, tradunt. Tradunt utique aniculae aliique aniculis superstitione similes; unde enim probabis, quod petasites, si subdatur homini, penis erectionem & seminis excretionem impediat & sterilitatem inducat, cum eadem sit stimulans & uolatile remedium, quod multas partes sulphureas & salinas uolatiles in gummosa substantia inclusas possidet? Par esto iudicium de borace, qui si breui post congressum in decocto salicis deglutiatur, conceptionem, uti refert MVSITANVS, (a) sufflaminare dicitur. Idem sentiendum de croco & mentha, quae statim a congressu, uaginae uteri, conceptionem impediendi ergo, immittuntur. Longe aliter uero idem comparatum, si pessus ex helleboro nigro & castoreo

(x) H. N. l. 25. cap. 7. (y) lib. 4. cap. 14. p. 250. (z) lib. 21. cap. 33. (a) In Oper. lib. de morb. mul. cap. 4. p. 449.

reo praeparatus post coitum intruditur; helleborus enim ob sal uolatile acerrimum, uehementius stimulando uteri uaginam partesque annexas, massam seminalem exturbat; & si conceperit mulier, conceptum expellit.

XXXVI. In quo antaphrodisiacum cannabis uirus, quod illi inesse dicitur, consistat, ut paucis expendamus, operae quoque pretium, *καννάβεως καρπὸς στρογγύλος ἐσθιόμενος πλείων, σβέννυσι τὴν γονήν*, semen cannabis rotundum, perhibet DIOSCORIDES, (b) cibo largiore genitalem exhaurit liquorem; in specie adducta semina semini uirorum inimica a PLINIO (c) uocantur, & GALENVS (d) de cannabis semine scribit, quod in maiori dosi usurpatum, materiam seminis secretioni accommodatam & necessariam absumat. Fortasse sal uolatile, quod una cum oleo e dictis seminibus elicitur, tantopere resoluendo & succos gelatinosos dissipando, massae seminalis defectum inducit? aut substantia illius mucilaginosa & oleosa narcotica obstruendo & constipando extremos & tomentosos arteriarum spermaticarum apices, liquoris genitalis secretionem impedit? Cum uero mucilago oleosa & narcotica iuncta cum sale uolatili tum temperet, tum leniter resoluat atque aperiat, & emulsio ex allegatis seminibus elicita in ictero, tussi, dysenteria atque atrophia cum fructu usurpetur, semina cannabis a ueneni genitalibus contrarii suspicione liberantur. Quod pariter Dioscoridis Interpres, MATTHIOLVS, (e) dum uim cannabis antaphrodisiacam demonstrare allaborat, sequentibus confirmat: ceterum cannabis satiuae semen in cibis sumtum plane contrarium efficit in gallinis, ac in nobis; si quidem largius commanducatum nobis genituram extinguit, gallinas uero ouiferaciores reddit; experientia enim compertum habeo, gallinas, quae hyeme, quo tempore algoris saeuitia raro oua parere solent, cannabis semine uescuntur, numerosiore ouorum partu gaudere.

(b) l. 3. c. 65. (c) H. N. l. 20. c. 23. (d) lib. 8. de simplic. facult. (e) Comment. in lib. 3. Dioscor. cap. 148. p. m. 928.

Qua quaeſo ratione, ſi ſemina cannabis ouulorum in gallinis incrementum, maturationem & excluſionem promouent, fieri poteſt, ut eadem ſemen humanum extinguant & nutritium ſuccum genitalibus uirorum ſubtrahant; hinc fide dignius, quod commemorata ſemina, quae foecunditatem promouerunt in gallinis, ſecundum MATTHIOLI obſeruationem, in ſiccioribus hominibus, emulſionis forma cum aquis refrigerantibus exhibita idem ſint effectura, & hoc eo magis credendum, quia contrarii exempla effectus merito adhuc deſiderantur.

XXXVII. Idem merito quoque in Satyrii radice, quam cynoſorchin appellant alii, deſidero, uaria enim illi eaque contraria uirtus tribuitur, uenerem nempe promouendi ac reſtinguendi, & iam hunc, iam illum ſexum ad diuerſae procreationem ſobolis, habilem reddendi; modum uero ita deſcribit DIOSCORIDES, (f) *ϗ περὶ ταύτης δὲ ἱςορεῖται τὴν μὲν μείζονα ῥίζαν ὑπὸ ἀνδρῶν ἐσθιομένην, ἀῤῥενογόνον εἶναι· τὴν δὲ ἐλάττονα ὑπὸ γυναικῶν, θηλυγόνον. Προσιςόρηται δὲ ϗ τὰς ἐν Θετταλίᾳ γυναῖκας, τὴν μὲν ἁπαλὴν μετὰ αἰγείου γάλακτος ποτίζειν, ὡς παριςᾶν τὰ ἀφροδίσια, τὴν δὲ ξηρὰν πρὸς ἐπίσχεσιν ϗ ἔκλυσιν τῶν ἀφροδισίων· ἀναλύεσθαι τὸν ἕτερον ὑπὸ ἑτέρου πινόμενον*, ſed & de his radicibus memoriae proditur, ſi maiorem edant uiri, mares generari, ſi foeminae minorem, alterum procreari ſexum. Inſuper autem proditum eſt, quod in Theſſalia mulieres, teneram e lacte caprino, ad excitandam libidinem, propinent, aridam uero, ad uenerem reſtinguendam atque extirpandam, ita ut alter potus alterius uires deſtruat. Tam ridicula haec ſunt, ut ne quidem apud mulieres prudentiores approbationem inueniant; ille certe, qui legitima partium genitalium diſpoſitione & ſufficienti ſuccorum laudabilium quantitate gaudet, non opus habet potu, qui ex recenti teneraque cynoſorchis radice & lacte caprino paratur, nec idem iniuriam ullam aut incommodum ex ſiccae uſu radicis ſentiet, deſiderium & potentia coeundi potius

(f) lib. 3. cap. 41.

tius augebitur, cum de allegata radice, tam ſicca, quam recenti, certum ſit, quod ob ſalis uolatilis oleoſi cum multa ſubſtantia farinacea combinati copiam, uim ſtimulandi & ſuccum nutritium augendi poſſideat.

XXXIIX. Alia libenter ſilentio tranſeo, quae ab aniculis delirantibus ad procurandam ſterilitatem commendantur; talia ſunt amuleta, quae ex matrice mulae, oſſe de corde cerui, gagate, ſmaragdo uel ſaphiro confecta utero geſtantur, aut ſi dentes pueri, antequam in terram decidant, in lamina argentea ponantur, & ſuper mulieres ſuſpendantur; ſimilem uirtutem ſtercori leporis & corio mulae in cubili ſuper foeminas ſuſpenſis tribuunt. Ita pariter foemina, quae peperit, & per aliquot annos non uult concipere, ſecundinae modo cum infante excluſae, tot cataputiae grana, quot annis ſterilis permanere deſiderat, indit & colligat, colligatam flumini committit. Eiusdem farinae ſunt, quae ex ISAACO adducit MVSITANVS, (g) nempe teſticuli gallorum cum ſanguine in lecto poſiti, quatuor fabarum grana, in uiam uel ſupra oſtium proiecta, quibus congreſſum impediri, ſuperſtitioſis perſuaſum eſt. Et BORELLVS (h) pro ſecreto, ſcribit, mihi, ad ſterilitatem comparandam, communicatum eſt, ſi foemina ſub menſtrui fine fluxus, antequam ad uirum accedat, placentulam mentaſtri coronae inſtar effigiatam uuluae imponat.

XXXIX. His nugis derelictis, paucis examinandum alterum uenenorum ſterilitatem inducentium genus, quae factam iam conceptionem deſtruunt, embryonemque immaturum ex utero expellunt. Haec appellantur abortiua, & uarii ſunt generis, alia enim ſuccum nutritium ſubtrahendo, alia ſpaſmos uteri concitando, idem praeſtant. Ex eorum, quae uitales ſuccos exhauriendo, abortum efficiunt, claſſe, eſt largior & crebrior uenae ſectio. Idem quoque praeſtant purgantia atque emetica fortiora & frequentius adhibita, quae non modo corpus limpha

 alibili

(g) de morb. mul. lib. 4. p. 450. (h) Obſ. Med. Phyſ. 29. Cent. 1.

alibili ſpoliant, ſed ob uicinitatem & conſenſum, concitando ſpaſmos, uterum ſuccutiunt & haud raro funeſtum immaturumque partum excitant.

XL. Hodierno tempore, maxima fides, poſt allegatorum applicationem remediorum, ſabinae, ad nefandum hoc facinus perpetrandum, adhibetur; priſcis, cyclaminis radix, ſuccus cedri, epimedium, chryſocolla & mercurius crudus in uſu erat. Praeſenti tempore ſapo niger & ſpiritus urinoſus, ob uim abortum concitandi, maxima laborant infamia. Horum fere omnium modus operandi unus idemque eſt, ſalis quippe acris, quo referta ſunt, ope, fibras motrices totius corporis ipſiusque uteri irritant, nec alia ratione machinam perturbant, quam uehementiora exercitia, ſaltus, curſus, equitatio, onerum ſubleuatio, abdominis compreſſio, quibus haud raro totum corpus tantopere concutitur, tantaque & tam crebra uteri contractio excitatur, ut foetus tenellus loco, cui adhaeret, auellatur, moriatur atque eiiciatur. Eandem uim hic ſaepius obtinent animi pathemata, ſi uehementiora fuerint, v. g. terror, ira, gaudium, triſtitia; a terrore deriuandum iudico, ſi, uti ſcribit PLINIVS, (i) mulier uiperam, item amphisbaenam mortuam tranſcendens abortum facit; eandem uim terroris Iulia, Pompeii coniux grauida, teſte PLVTARCHO, (k) experta fuit, quae uiſa mariti ueſte ſanguine perfuſa, tantam ſuſtinuit alterationem, ut in animi deliquium, cui abortus ſuccedebat, incideret.

XLI. Peculiaris uini peculiari ad abortum concitandum arte comparati DIOSCORIDES (l) facit mentionem, *γίνεται*, inquit, *φθόριος ἐμβρύων οἶνος· φυτευομέναις γὰρ ταῖς ἀμπέλοις συμφύεται ἐλλέβορος, ἢ σίκυς ἄγριος, ἢ σκαμμωνία, ὧν ἀναλαμβάνει ἡ σταφυλὴ τὴν δύναμιν, καὶ ὁ ἐξ αὐτῶν οἶνος γίνεται φθόριος· γίνεται δὲ προμηνμεκυίαις νήστεσι κυάθων πλῆθος ἢ κεκραμένος·* Non autem in hoc uino ſpecifica utero embryonique

(i) l. 30. c. 14. (k) in Pompeii uita. (l) Oper. lib. I. cap. 77.

que inimica uirtus confingenda, ſed iſtud quorumuis acrium more in ſiccioribus & qui fortiore motu oſcillatorio gaudent, tum totius machinae, tum uteri fibras motrices uehementius exagitando, allegatum pluraque alia mala inducit, adeoque uenenum, quod in hoc ſubiecto abortum excitat, illud ab eodem praeſeruat; hoc praecipue exemplo uenae ſectionis probari poteſt, quae celeberrimum eſt ἐκβολικὸν, haec nihilo ſecius bis terue in plethoricis repetita bonum habuit effectum, cum non a ſanguinis tantum defectu, ſed illius etiam abundantia abortus oriatur. Hinc CLAVDINVS (m) ſedulo monet, ut in grauidis ſuccorum abundantia laborantibus tempeſtiue uenae ſectio inſtituatur, ſibi enim, ſcribit, multis obſeruationibus innotuiſſe, quod cumplures mulieres ſaepius iam abortum paſſae uenae ſectionis adiumento uegetae cum foetu permanſerint, eundemque legitimo partus tempore ediderint. Eo pariter artis beneficio FERNELIVS inuiſam ſterilitatem pernicioſumque abortum a Domo Regia Henrici II. Galliarum Regis, abortiente ſaepius ob plethoram Regina, repulit, Valeſiumque nomen optata generoſae prolis acceſſione propagandum curauit, & ſibi gloriam ac diuitias comparauit. Quod de uenae ſectione dictum, idem in ceteris, quae abortum concitare dicuntur, locum habet, purgantia quippe aliaque penetrantis remedia indolis in multis grauidis, quae ſuccorum uiſcidorum abundantia laborant, maximo cum fructu adhibentur, & easdem ab abortu praeſeruant.

XLII. Summe hinc neceſſarium, ut has res altiore dignas indagine, quibus humani conſeruatio generis innititur, maiori obſeruemus ſedulitate, nam aeque tanti momenti, hominis naſcituri incolumitatem tueri, quam iam natum ſartum tectumque ſuſtentare. Hoc autem nonniſi accommodatis remediis obtineri poteſt, ea uero accommodata dicenda ſunt, quae cuiusuis idioſyncraſiam & materialis formalitatem cauſae reſpiciunt; uti enim

(m) lib. de Ingreſſu ad Infirmos l. 2. c. 2.

enim nulla proſtant abſolute talia uenena abortiua & ſterilitatem inducentia, ita quoque remedia uniuerſalia & ſpecifica foecunditatem procurantia & allegatorum uenenorum anditota adhuc deſiderantur; minime hinc iis, tanquam omnis ſterilitatis panaceis, fidendum, quae BARICELLVS, (n) CLAVDINVS, (o) FABER, (p) GRVLINGIVS, (q) HARTMANNVS, (r) PLATERVS, (s) RIVERIVS, (t) SENNERTVS, (u) VARANDAEVS, (w) WEIKARDVS, (x) adducunt, & de teſticulis apri puluerifatis, uiperae decocto, teſtibus ueruecis, uulua leporis exſiccata, ſemine ammeos, ſale ſatyrionis, alliis cum oleo ſpicae tritis, radice eryngii, ſecundinis, zibetho, felle hircino, ſemine erucae, teſticulis uulpis, praedicant; alia enim horum proſunt his, illis nocent, uti iam capite decimo nono explicaui & demonſtraui.

XLIII. Maxime hoc modo in humanum genus iniurii ſunt, qui uariis artificiis generationis negotium impedire, ſterilitatem inducere, atque abortum procurare allaborant, deſtruendo enim genitalium bonam diſpoſitionem, atque annihilando futuri hominis ſtamina, facinus homicidio ſimile committunt. Hoc probe perpendit LANCELOTTVS, (y) qui non ueretur affirmare, quod impediens conceptionem uel abortum procurans, ut homicida ſit puniendus; ſecus autem, ſi non ſtudio, ſed caſu idem ſit factum. Hanc theſin ex Concilio Guarmacienſi LANCELOTTVS deſumſit, quod ſimilem poenam illis, qui uenena ſterilitatem inducentia exhibent, dictitat, uti ex ſequente canone, quem explicauit TELLEZ (z) diſcimus: ſi quis cauſa explendae libidinis, uel odii meditatione, ut non ex eo ſoboles naſcatur,

homini

(n) hort. genit. p. 145. (o) Empyr. rat. P. 2. l. 4. tr. 2. c. 1. (p) Panchym. l. 5. S. 1. c. 12. (q) Med. Pr. l. 4. c. 5. p. 437. (r) Pr. chym. p. 182. (s) obſ. lib. 1. p. 253. (t) Prax. med. lib. 15. c. 15. (u) lib. 4. Prax. Part. 2. S. 4. c. 2. (w) lib. 2. de morb. mul. c. 1. (x) Theſ. Pharmac & Pr. l. 1. c. 13. (y) Inſtitut. Iuris Canonici lib. 4. tit. 10. p. 2098. (z) Comment. in Decretalia Gregorii IX. lib. 5. Tit. 12. cap. 5. p. 254.

homini aut mulieri aliquid fecerit, uel ad potandum dederit, ut non possit generare aut concipere, ut homicida teneatur. Primarius enim discrepantis sexus finis est, ut mutua coniunctione humanum genus propagent. Quisquis igitur hunc usum inuertit, & tantum libidinis explendae causa coniugem in matrimonium ducit, atque ad hoc obtinendum, sterilitatem inducit, ille naturae ordinem turbando, maximum perpetrat scelus, maximaque dignus poena. Hanc uero sententiam non amplius eo, quo posita fuit, poenae rigore obseruari, commemorat **BERLICHIVS**, (a) quia delinquens hoc in casu non uerus homicida reputetur, unde poena homicidii ordinaria locum non habeat, sed extraordinaria eaque mitior, nempe relegatio uel fustigatio; & hoc eo magis, si mulier tenerioris constitutionis sit, & si hoc modo mortis periculo per conceptionem exponatur, aut inopia affligatur, & subsidiis, quae ad alendos atque educandos infantes requiruntur, destituatur; ast friuolae sunt illae rationes, nec attendi merentur, potius ex eo poena ordinaria homicidii illis, qui uenenum sterilitatem inducens alteri exhibuit, dictari nequit, quia difficile, ne dicam, impossibile est, demonstrare, quod praesens sterilitas ex propinato ueneno ortum habeat. Quando hoc uero certum est, & non sterilitas modo fuit inducta, sed totius quoque corporis integritas labefactata, ita, ut successiue quasi diuturno exhaustus morbo perire teneatur, qui sterilitatis uenenum bibit, merito capitis poena puniendus, qui tale commisit scelus.

XLIV. Si ita puniendus est, qui conceptionem impedit, seuerior certe poena illi dictanda erit, qui iam factam denuo destruit, & abortum excitat. Veteres iis, qui immaturum ueneris foetum expellebant, capitis adiudicabant poenam; hoc confirmat sequens lex ex libris *βασιλικῶν* (o) desumta: *ὁ δεδωκὼς πόμα πρὸς φίλτρον ἢ ἀμβλοθρίδιος, καὶ χωρὶς δόλου, εὐτελὴς μὲν*

ὢν

(a) Conclus. Pract. Part, 4. conclus. 8. §. 58. & sequ. (b) lib. 60 t. 51. l. 38. §. 5.

ὢν μεταλλίζεται, τίμιος δε ἐξορίζεται, μετά μερικῆς δημεύσεως· εἰ δὲ ἀπέθανεν ὁ πιών, ἐσχάτως τιμωρεῖται· Diſtinguunt hic multi Iure Conſulti in foetum uitalem, qui iam quartum ſuperauit menſem, & non uitalem, h. e. unius, duorum triumue menſium; & hoc modo affirmant, quod illi, qui παιδίον, foetum nempe ferme maturum, grauius, quam qui ἔμβυον, h. eſt, foetum paucorum menſium; & qui ἔμβρυον, grauius, quam qui γονήν, foetum ſcilicet modo conceptum ex utero eppellunt atque interimunt, peccent, & hinc grauiore poena afficiendi ſint. Sed cum de nihilo illa diſtinctio, hinc eadem Iudex in dictanda poena minime inniti poteſt; quamprimum enim conceptio facta, uerus adeſt homo mente & corpore conſtans, adeoque quiuis, qui foetum, ſiue ſit unius, ſiue plurium menſium, abortiuorum ui uenenorum expellit, capite plectendus eſt. Si enim homicidium committitur, certe non conſideratur occiſi aetas, magnitudo & ſexus, ſed an uiuus ſanusque fuerit, atque ex uulnere inflicto mortuus, examinatur, hoc iam euicto, ſi facto animus occidendi fuit iunctus, capitis dictatur poena. Et hoc modo etiam contra eos, qui uenenis abortum procurarunt, procedendum, & ratio decidendi non ab autoritate, ſed ex ipſius rei principiis deducenda.